DE

GRAECI SERMONIS DISTINGUENDI LEGIBUS AD ENUNCIATI NATURAM AC FORMAM COMPOSITIS.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XVII. M. OCTOB. A. MDCCCXLIII

H. L. Q. C.

ASSUMPTIS ADVERSARIIS:

JULIO MENTZEL, CAND. MUN. SCHOL.

ADOLPHO HELD, CAND. PHIL.

JULIO SCHICK, SEM. PHIL. NUPER SOD.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS LANGE,

SILESIUS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS FRITZIANIS.

FRIDERICO WIMMERO

GYMNASII REGII FRIDERICIANI DIRECTORI ET PROFESSORI.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

PUBLICUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Τοῦτο οὐκ ἔστι στιγμῆς, τὸ καϑ' ἕνα ἄνϑρωπον ἀμείβεσϑαι τὸν τόπον, ἀλλὰ τό ἔχειν τινὰ ὡρισμένην ϑέσιν.

Bekker anecd. gr. II. p. 759.

Mens humana, cuius propria et singularis vis praecipue in eo cernitur, quod cogitandi pariter atque verbis cogitata efferendi facultate utitur, apud alios populos alias sibi peperit formas, quibus sensa in conspectu ponerentur. Nec vero quamvis mira illarum ac multiplici exstante varietate linguae adeo inter sese discrepant, ut suus cuique sententias conficiendi modus placeat, nec potius, singula si mittimus, lex quaedam summa pro fundamento subiecta ubique vigeat. Quemadmodum enim in artis operibus mens ita partes adornare et componere intendit, ut in unitatem iuste coëuntes totum exhibeant, ita, cum linguae instrumento utitur, idem plane vult consequi. Quae duo animi studia etsi uno nituntur consilio, tamen ratio, qua in utriusque monumentorum generis notitiam adducamur, perquam diversa est ac paene sibi contraria. Prius eorum natura ita institutum vides, ut uno quasi obtutu non solum pleraque in ipso comprehendi liceat, sed etiam quaedam eius imago menti inde impressa relinquatur; contra haec alterius vim et indolem cognituro veluti processu ac singulis partibus persequendis sententiae intelligentia aperitur. Est vero, ubi haec res praeter alia id habeat incommodi, quod in anacoluthis, ut vocantur, enunciatum per se quidem sensum integrum praebet numerisque absolutum, ei tamen, qua rei ad cogitandum propositae partes inter se componere

et in unum quoddam cogere iubemur, rationi[1]) non apprime respondet is modus, quo illud veluti signis expressum in lucem prodiit. Quodsi, ut cuncta quae animo obversantur enuncianda, praeceptis quibusdam adstricta et temperata sunt, ita ipsa enunciatorum forma istum in modum dirigenda est: hoc ubi sive incuria sive dedita opera est neglectum, nec nobis patet, cum mens a lege sibi scripta aperte declinaverit, distinguendi artem conditoris ideo aut omnino de eventu desperandum aut illa de re nimis anxiis eam sic adornandam esse, ut constantia posthabita quod in aliis reprehendimus idem ipsi delinquentes a proposito longe aberremus.[2]) Quemadmodum enim libido, cum per vulgaris vitae instituta et mores diffusa evagatur, in sobrii cuiusque ac ratione coërciti severam notam incurrit, ita etiam in veterum scriptis monumentis id faciendum putamus, ut tum omni arbitrario novandi studio tum ista, quae sine certa norma procedit, interpungendi ratione reiecta hujus doctrinae quaeratur unde tuta sint fundamenta repetenda et quamnam ea vim in orationem habeat, ne casu oblata, sed necessitate potius stabilita et affirmata suum in grammatica locum teneat. Quod quo magis patefieret, iis, quae nostram in rem aliquod habent momentum, ex antiquitate prolatis manifestum reddere conati sumus, quam tenuia distinctionis incunabula fuerint, et quomodo eius notio temporis progressu immutata et rectius paullatim constitui coepta sit, ut, quid praestari ea et possit et debeat, hodie exigenti ad eius incrementorum cursum redeundum esse videatur. Unde simul speramus fore, ut et iis satisfiat, qui rem quodam antiquitatis colore destitutam minoris fere aestimare adsolent et operae pretium facere negant, si qui circa eam versantur, imo studium eorum suspectum dicunt nec nisi merum ingenii lusum.

Schmidtius[3]) iam Aristotelis aetate libros distingui

---

1) cf. Grotefendius in libro, qui inscribitur: Grundzüge einer neuen Satztheorie p. 12.

2) Vid. Schneider ad Plat. civit. I., p. 339 E.

2) in bibl. crit. 1828. nr. 48. p. 381.

coeptos esse demonstraturus philosophi ipsius haec excitat verba: Rhetor. III., 5 ὅλως δέ δεῖ εὐναναάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον καί εὔφραστον. ἔστι δὲ τὸ αὐτό. ὅπερ οἱ πολλοὶ σύνδεσμοι οὐκ ἔχουσιν, οὐδ' ἅ μή ῥάδιον διαστίξαι, ὥσπερ τὰ Ἡρακλείτου. τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διαστίξαι ἔργον διὰ τὸ ἄδηλον εἶναι, ποτέρῳ πρόςκειται, τῷ ὕστερον ἢ τῷ πρότερον, οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αυτοῦ τοῦ συγγράμματος 'φησί γάρ' τοῦ λόγου τοῦδ' ἐόντος ἀεὶ ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίνονται. ἄδηλον γὰρ τὸ ἀεὶ, πρός ὁποτέρῳ διαστίξαι. Osannus in syll. inscripptt. p. 74 sq. et Matthiaeus in gr. gr. §. 58 Wolfio in hist. gr. litt. p. 53. suffragantes philosophum contendunt iis verbis non de interpunctionis signis sive notis calamo exarandis, sed de ea singulorum orationis membrorum distinctione loqui, quae mente percipiatur, sine qua nemo sensum cuiuscunque enunciationis assequi possit. Quod quominus verum esse censeatur, verbi διαστίζειν vis propria per totam graecitatem diffusa (vid. Steph. in thes, s. h. v.) magno est impedimento. Decepisse praeterea videtur illos viros opinio de interpunctione nostra memoria divulgata, qua in simplici sententia ad quantumcunque ambitum extensa ullam vocem a reliquis secernere vetamur. Sed non est, cur cultiorem nostram rationem iam eo aevo, in quod mediocre potius ac tenue artis huius initium incidit, floruisse arbitremur. Quae sententia magis etiam tibi confirmabitur, si marmora quaedam ex antiquitatis naufragio servata ut: Sigeum, Elginianum, Nointelianum intuitus fueris. In his quidem et in titulis adhuc superstitibus quamquam rara tantum incisionis vestigia comparent, tamen Osanni studio augendae scientiae fructuosum quodque attendere soliti vetustissimae notitia debetur distinctionis, qua et Aristotelem usum fuisse collata eius cum lapidum ratione admodum fit probabile.

Constat enim primitus quidem vocabula fere coniunctim scriptores exarasse (cf. Fischer ad Weller. I., p. 227); non potuit vero non res mox eo paullatim perduci, ut voces non solum disiungerentur,[1]) sed etiam, id quod mirum

1) Vid. Gruter. Inscrrpp. p. 769. 4. Corsinius de notis Graec. 4. p. 72.

in modum lectionem adiuvabat, omnia notioni alicui illustrandae sive amplificandae inservientia signo vel hanc : vel hanc ⋮ vel Boeckhio teste[1]) rarius hanc formam ☰ referenti includerentur.[2]) Quodsi Aristoteles illa scribens cogitationem sanam neque aliis inaccessam animo concepisse putandus est, nihil relinquitur aliud, nisi ut philosophum interpunctionem in eam, quae in titulis cernitur, rationem direxisse statuamus. Neque Hegelius istam artem ab Aristotele abiudicat, cum in hist. phil. I. p. 331. huius verbis et auctoritate Demetrii de elocut. §. 192, p. 78. ed. Schneider. nisus Heracliti neglectam verborum structuram et locutionem incultam dicit esse in caussa, quod Aristoteles scripta eius vix ac ne vix quidem posse distingui conqueratur.

Verba igitur quae potissimum in rationem ac veluti computationem veniunt; *ἄδηλον γὰρ τὸ ἀεὶ, πρὸς ὁποτέρῳ διαστίξαι* ita explicanda sunt, ut Aristoteles praemisso *ἄδηλον εἶναι, ποτέρῳ πρόςκειται, τῷ ὕστ. ἢ τῷ πρότ.*, utri vocabulorum *τῷ ἀεί* adiacentium incisio accedat, exploratum esse neget.[3])

Restat, ut aliud vetustae interpunctionis exemplum ab Osanno pag. 448. l. c. adnotatum commemorem; aperte enim in titulo confabulantium sermones apostrophi nota distincti

---

1) Abhand. d. Berlin. Academ. hist. phil. Cl. 1822. 23. p. 301.

2) Franzius in Elementis epigraphices graecae Berol. 1840 dicit minus accurate p. 51: Graeci binis plerumque, interdum ternis punctis verba solebant distinguere, ut videre est in aere Eleo n. 24. aliisque vetustis monumentis, ut Corp. Inscr. n. 34. 38. etiam Atticis, ut. n. 42. cf. n. 32. Sig. Ternae lineolae in titulo Delphico n. 30. p. 75. distinctionem constituunt, ut in Atticis terna puncta.

3) Walchius (de arte crit. vet. Rom. p. 208) contra Clericum nobiscum facientem pugnans locos, quibus suam opinionem confirmat, ex Aristotele et Demetrio petitos perperam intellexit; neque enim apud illum de difficultate Heracliti periodorum rite a se invicem discernendarum sermonem esse vel caeco apparet, neque huic vocem *κῶλον* usurpanti tale quid obversatum esse comperire potuit ex Quinctil. instit. lib. 9, c. 4.

sunt, quae ne secundae manui deberi conseatur, apographum Hasianum prohibet.

Quodsi quicquid omnino certi in re testimoniis tam paucis adiuta habetur breviter comprehendimus, hoc fere tenendum erit: extitisse quidem antiquitus genus quoddam interpunctionis nec ratione destitutum, sed non omnium esse consensu comprobatum. Neque in vitae quotidianae usum sese hoc insinuasse inde efficitur, quod titulis in permultis notae aut plane desunt aut, quod magis mirum videtur, in uno eodemque monumento non cunctis, sed singulis tantum locis adspersae sunt. cf. Franz. l. c, p. 129. Quamobrem non mirabere de nova distinctione inferenda postea cogitari potuisse.

Pregressu enim temporis cum Graecorum ingenio iter suum emenso laboris tamquam Herculei fructus per totum orbem paullatim diffunderentur, viri variae cognitionis copiis extitêre instructi, qui et commentariis veterum scripta illustrabant, et, quo certiorem res illa eventum haberet, necessitatem quandam interpungendi spectare incipiebant. Buttmannus igitur in gr. gr. ampl. et Weiskius in libro: Theorie der Interpunction u. s. w. Leipzig. 1838. p. 120. ab Alexandrinorum aevo huius artis initium omnio repeti volunt. Dicit insuper Weiskius nescio cuius auctoritate fretus omne superioris aetatis studium in punctis post singulas voces atque adeo litteras exarandis substitisse; cf. Osann. l. c. Aristophanes Byzantius, qui vulgo distinctionis inventor perhibetur, primus eo processit, ut intra periodum inter locos vi sua logica aliter atque aliter valentes discrimine constituto notam pro situ nunc lenius nunc fortius orationis membra dirimentem in usum vocaret. Grammatici huius praecepta, quae nobis D, Thrax servavit, in Lascaris *τέχνῃ* hisce breviter comprehenduntur: *ἡ τελεία στιγμὴ σημεῖόν ἐστι διανοίας τελείας· ἡ μέση σημεῖον μεσούσης διανοίας, μήτελίαν οὔσης πρὸς τὸ τέλος μήτε κρεμαμένης· ἡ ὑποστιγμὴ κρεμαμένης τῆς διανοίας καὶ πρὸς συμπλήρωσιν ὀλίγου δεομένης.* His in distinctionibus cum, ut infra videbimus, commode acquiesci nec nisi cum sermonis perspicuitatis detrimento alia media illa vel minor adhiberi possit,

rationis, qua singulas doctrinae partes Aristophanes persecutus sit, mentionem eo magis lugendum est a grammaticis fieri nullam, quo latius coniecturis faciendis campus patet.

Buttmanno in doctrinae principia indaganda operam conferenti mutationibus, quas per saeculorum decursum haec ars subiit, non reputatis ex scholiis quibusdam et vetustis librorum exemplis posse colligi videtur grammaticos incisiones recitantis voce factas distinctione notavisse. Neque enim mens, pergit ille, quippe quae partium quarumlibet connexum ut ab ipsa effectum semper facile adsequatur, ullum notarum adminiculum flagitat, sed auribus ac voci istis opus est. Cuius rei fidem nobis facturus quamquam vocem dicit membrorum positura non respecta, ubi animi cogitatio absoluta et conclusa sit, ibidem fere paulisper consistere et colon suam habere sedem, tamen in exemplo adiecto, quo grammaticorum doctrinam barbaro sermone illustrat, Aristophanis de verbo *μεσάζουσα* praecepta usque eo extendit, ut cogitationes quacunque vi positas colo statuat distinguendas. Unde id accipitur incommodi, ut, quae inter se potestate differunt, haec eadem gravitate ac dignitate eminere videantur.

Romanorum, qui post Graecos ab Interpungendo non abstinuerunt, eo fere continentur studia, ut incisionibus, quae ipsa cogitatione fiunt, prorsus neglectis ad moram, quae ab interspirandi necessitate proficiscitur, distinctionum dirigant usum.[1]) Fieri igitur non potuit, quin vi pulmonis pro fundamento subiecta grammatici in perquam diversas discederent sententias, in quibus componendis Seyffert[2]) melioris rationis ipse inscius maiore cum labore quam fructu versatus est.

At vero iam Graecis idem atque Romanis in mentem venisse discimus ab interprete Dionysii Thracis artis in Bekker. an. gr. II. p. 758 et 759; cui quod subiungit: non

1) Donatus ap. Putsch. p. 1742, Sergius p. 1837, Diomedes p. 432 sq., Maxim. Victorinus p. 1942. Meliora profert Isidorus lib. I., c. 19 (ap. Puteanum in Facula Distinct. c. 10 et 12).

2) Auf Geschichte und Kritik gegründete latein. Sprachlehre. 1798.

esse notarum de loco in locum cedere etc." a delinquendo istos revocare poterat. Sed quod in opinione sua perseverarunt, tribuendum videtur auctoritati Quinctiliani, cui Ciceronis verba facis instar praeluxerunt. Utitur hic (de orat lib. 3, c. 44. et Orator c. 68) vocabulis membra et incisa, membratim et incisim dicere, quibus nisi maiores et minores orationis particulas nihil denotari apertum est. Quinctilianus ad ea rationem suam ita dirigit, ut notiones, quae totum quoddam deflnitum constituunt et a reliquis voce paulum divelluntur, comprehendendas et virgulis includendas esse doceat. Quae de commate praecepta ex Virgil. Aen. lib. I. init., cuius priorem partem grammaticus,[1]) alteram Seyffert l. c. p. 204. de huius sententia interpunctam dedit, cognoscenda non multum quidem a simplicitate ac tenuitate distinctionis in titulis obviae recedunt, tamen facile intelligitur Quinctiliani doctrinam caussis fultam rhetoricis in errorem grammaticos inducere potuisse, praesertim cum, quo sensu verbum distinguere accipi velit, nec usquam diserte moneat, neque hi nunc maiorem nunc minorem vocabulorum ambitum nominibus membrum et incisum comprehendi videntes, ad idem quo propius ipsorum ratio accederet, eo propius hanc a vero abesse potuerint non opinari. At inest Quinctiliani arti quod rem strictim tangentem praeterit, altius introspicientem eo ponit loco, unde, quid sibi distinctio velit, si minus ab omni parte, ab una saltem erui inque clariore luce collocari queat. Singulis enim vocibus h. e. notionibus

1) Quo loco annotare iuvat enunciati formam subtilius excuti tunc nondum coeptam esse, quum, si Quinctiliano assentias voces fato profugus appositionis modo interiectas dicenti, num iis recte poeta explicationem per quinque fere versus continuatam subiecerit, scrupulus non tenuis resideat. Nequit enim quod secundariae alicui sententiae inscritur brevius membrum tanto verborum ambitu in singulis illustrari, ut partium aequalitas nec in carminibus derelinquenda prorsus sublata esse videatur. Priorem igitur Heynii probaverim rationem, qua profugus et venit tamquam in unum conferre inbemur; unde fit, ut nihil obstet, quin fugae errorisque causa et effectus paucis ac compendiariis lineis designentur.

cum incisa fieri lib. 9, c. 4 demonstraturus exemplum: diximus, testes dare volumus adscripserit, non dubium videtur, quin vel singulis notionibus vel cum aliis consociatis, si copula non interserta componuntur, interpunctionem velit inservire disiungendis; quod longius infra persequemur.

De distinctione quae circumferebantur opiniones grammaticorum varias non mirum est non defuisse qui delectu habito confunderent suoque alienis addendo ad firmiores paullatim regulas doctrinam revocare conarentur. Qua in re fieri non potuit, quiu in universum praecepta dedisse non satis habentes acriori exigerent studio, quatenus ista in singulis sententiarum locis valerent, et ubi ab eorum usu recedendum esset. Quantum igitur iam veterum curis debeatur, cum nullius exemplum ad persuadendum exstet aptius quam Nicanoris, doctrinam eius (Bekker. an. gr. II. 763 sqq.) non alienum videtur accuratiori submittere disquisitioni. De ipso apud Suidam s. v. *Νικάν.* vol. II., p, 621 ed. Kuster. haec leguntur: *Νικάνωρ, Ἀλεξανδρεὺς γραμματικὸς, ἔγραψε περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ, περὶ στιγμῆς καθόλου βιβλία ἕξ, περί στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ.*

Dicit grammaticus *τὴν ὑποστιγμὴν τὴν ἐνυπόκριτον* in rectis (*ὀρθαῖς*) periodis i. e. quae protasin apodosi praemissam habent, statim post illam locum obtinere. Quia vero saepenumero fit, ut non una enunciatione protasis constet, sed pluribus etiam vi pari positis amplificata sit, Nicanor singulas eius partes nota inferiore ac leniore sc. *τῇ ἀνυποκρίτῳ ὑποσι.* dirimi et demum ante apodosin *τῇ ἐνυπ. ὑποστ.* gravius incidi iubet. *τῇ ὑποδιαστολῇ,* signo *τοῦ ὀξέος τόνου* formam referenti, in periodis, quae apodosin protasi praemittunt (*ἀντεστραμμέναι*), ante coniunctionem sub vocis praecedentis ultima littera sedem assignavit. Locis, quos Nicanor excitat, (Hom. Il. I., 38; I., 500; III., 33) inter se collatis vix erit quem lateat, quibus hic rationibus ductus de tot signis adhibendis cogitare potuerit. Quorum aliquot, si ad nostros vocantur calculos, nomine quidem diversa, re vera eadem sunt potestate. Illorum effatorum duo

priora eiusmodi sunt, ut τε-τε et καί-καί particulis praedicata ad idem subiectum referenda vinciantur; postremum eo ab his differt, quod parti annexarum enunciationum idem est subiectum, cum quo reliquarum logica, ut vocatur, subiecti notio convenit. Quod si cum animo reputaveris, temere ac citra necessitatem tibi factum videbitur, ut Nicanor eandem iungendi rationem in alio sententiarum genere aliter indicandam esse iudicaverit. Plane vero otiosa est atque inutilis ὑποδιαστολή, cum membris transpositis nihil immutetur nec non inter utramque partem ἡ ὑποστ. ἡ ἐνυπόκρ. collocata suum gerat munus (Bekk. l. c. p. 764). Ab huius postremae notae vi non abhorret ἡ ὑποστ. μεθ' ὑποκρίσεως. Qua quia in enunciatis relativis i. e. quibus ὄφρα-τόφρα, ὅτε-τότε κ. τ. λ. continentur, utendum esse Nicanor (ib. p. 764) diserte monet, reliquas particulas, quas alii (ib. p. 760) una cum istis laudant, eodem referri videtur negare. Nescio, quam vere,[1]) Ἡ πρώτη ἄνω quomodo a τῇ δευτέρᾳ ἄνω, τῇ τρίτῃ ἄνω et τῇ ὑποστ. τῇ ἀνυποκρ. differat, alius me acutior videat. Utrum enim totum quoddam in partes suas per τε sive καί vinctas simpliciter tribuatur, an disiunctivo modo aliquid exprimatur, cum, si argumentum spectaveris, idem non sit, tamen non est, cur orationis colore iamiam particulis exsplendescente suum cuique signum destinemus nec potius communem omnium rationem amplexi in uno acquiescamus. At ne sic quidem totam rem confectam putes; sed restat insuper, ut id ubique attendas, utrum singulas notiones an integra enunciata particulae istae comitentur. Cuius mentionem cum nusquam Nicanor

1) C. E. Chr. Schneider (Akademische Vorles. über griech. Gramm. 1837) praeclare monstravit p. 214 sq. particulas, quae lingua magis exculta coniunctionum partes sustinent, primitus adverbiorum demonstrat. munere functas, deinde assumta vocula τε enunciatis binis copulandis adhibitas esse, quorum nisi altero accedente alterum idoneum sensum non praeberet. Paullatim vero quum cultiore dicendi modo usuque diuturno immutata particularum significatio in animis hominum insedisset, non mirum est, quod permultae coniunctiones illo τε exutae potestate sua viguerint, aliaeque voces eo non vestitae (ib. p. 216) sola sententiarum parataxi vim coniungendi induere potuerint.

iniecerit, quoad praeceptorum vis pateat, in medio relinquitnr. Angustioribus etiam finibus usum τῆς τελείας στιγμῆς ib. p. 763 circumscribit, quia, nisi ubi posterior sententia cum priori particulis non cohaereat, non locum eam habere statuit.[1])

In laqueos porro fere inexplicabiles grammaticum sese irretire iubentem ante δέ particulam aliasque id genus τῇ ὑποτελείᾳ incidi cognoscas ex Hom. Il. I., 4 et III., 38. Priori loco δέ enunciati relativi trimembris ultimae parti ideo accedit, ut, posteaquam de virorum fortium animis in Orcum detrusis sermo fuit, ea, cui cadavera succubuère, sors alia fuisse tradatur; altero δέ ab Homerico usu non alienum continuandae orationi inservit, cf. Bernhardy synt. ling. gr. p. 483.

Quodsi cuncta paucis complectimur, est quidem, quod interpunctione particulis superstructa offendamur, tamen eas quippe ad orationis formam pertinentes prorsus praetermitti non licet. Nicanori vero iis niso multo quam ante ipsum factum erat, fusius totum persequi campum et ad veritatem proxime accedere contigit, ita ut hoc exemplo proposito nihil moremur, quominus ad rem ab integro pertractandam nosmet accingamus; qua procedente quicquid ille praeter ea, quae modo notavi, vel deliquit vel commemorare omisit, caussis additis corrigendum et supplendum erit. —

Genus humanum ut linguae usu et ratione animalibus praestaret, hac quidem lege natum est, tamen sero demum et coniunctis multorum viribus mens eo videtur pervenisse, ut quadam sui conscientia imbuta res sub sensum cadentes tum distinguere tum quibus distinguerentur nomina invenire tum qualiacunque cogitata apta forma efferre ac proponere posset. Quo non prius perventum est, quam vincula adessent, quibus effatorum partes connecti et veluti

2) Melius est ab aliis (Bekk. l. c. II. p. 760) praeceptum plene interpungendum esse, ubi animi cogitatio in quendam verborum ductum sic cogatur, ut intra hos fines commode subsisti nec quicquam aliud ad totius integritatem requiri posse videatur.

in unitatem conflari viderentur. Simul enim cum vi cogitandi in dies magis crescente notionum copia et, quaenam earum inter sese relatae cogitarentur, intelligendi difficultas paullatim augeri aperte coepta est. Quod incommodum quo minus aegre feras, et intellectui tutior via pateat, terminationum usus egregie efficit. Ennciatorum vero quia plura habentur genera, ad istud primum, unde tamquam ex fonte reliqua profluxerunt, breviter tractandum accedimus; patefacto deinde errore eorum, qui istius partes certa verborum cumulatione extensas vel notionem aliquam ad totum effatum referendam interpungen dodisiungere solent, transitus fiet ad simplicem periodum idque eo conspicuam, quod, quo maior toti vis ac gravitas conciliaretur, notionum una alterave sontentiae formam induit. His praemissis compositae periodi partium restat ut mutua exponatur ratio; unde efficietur notas ab Aristophane Byzantio primum usurpatas ad quodvis relationum discrimen indicandum plane sufficere, nec non commissuram membrorum obstare, si qui sermoni perspicuitatem parere studentes pluribus locum esse velint.

Constituendae simplici sententiae quae inserviunt partium aliae omnino necessariae sunt, aliae in obliquorum casuum aliquem vel nude vel cum praepositione desinentes imperfectam praedicati notionem enodatius definiunt, aliae ideo accedunt, nt sententia fere nimis ampla certis quibusdam finibus adstringatur. Cuius ambitu quam latissimo sic delineato iam formarum, quibus singulae notiones aliis in societatem adscitis uberius illustrantur, varietatis mentio facienda est. Verum quo facilior totius rei esset conspectus, veluti tabula proposita visum est tradere praecepta.

Accuratius definitur

A. subiecti orbis

a) addito adiectivo: *ὁ σοφὸς Σωκρατης ἔπιε τὸ κώνειον*, vel adverbio articulum inter et nomen collocato, cf. Matth. l. c. §. 272, a.

b) participio: *ὁ ἐκπλαγεὶς ἄνθρωπος ἐσίγα.*

c) genitivo nominis: *τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα ἐξίτηλά ἐστιν.* Adhibentur etiam, quamvis minus saepe, reliqui casus obliqui nominum ad notionem substantivi ex-

plendam: Accusat. *δοῦλος τὰς μεγίστας θωπείας* Plat. civit. IX. p. 579 D; — Dativ. *ὕμνοι θεοῖς, ἐγκώμια τοῖς ἀγαθοῖς* ib. X. p. 607 A. *ἡ-κοινωνία τοῖς φύλαξι* ib. V. p. 464 A. ib. III. p. 401. Phaed. p. 109 A.

Praeterea fit, ut notiones explicativae alias idem munus sustinentes assumant, nec simplex esse sententia desinat; sic e participiis et adiectivis nominis seu pronominis casus aut adverbium sunt apta.

Amplificationum pars (a, c) in adiectiva quaedam et participia diffusa est, quorum ego haec exempla collegi: Arist. Eccles. v. 1171 *ἡ ἐμὴ κεκτημένη* meine Besitzerin. Aeschin. II. p. 68. ed. Bremi *τὸ σύμφερον τῆς πόλεως*. Arrian. VII., 18. 4. *μέγα χαλεπόν*.

B. praedicati orbis

a) adverbio: *ὑμεῖς ἀσφαλῶς διάξετε*.

b) participio. Pertinent huc verba integro sensu non conspicua, quae loco infinitivi aliis convenientis pro sententiae ratione participium adiunctum habent (Rost in gr. gr. §. 129). Sed et haec cum sit participii vis, ut caussam, consilium, concessionem, alia id genus exprimat, sententiae secundariae non male vices explere dicitur (Rost. ib. §. 130). Quod illustrius etiam fit *ὡς, ἅτε, καί* seu *καίπερ, μεταξύ, εὐθύς, ἅμα, αὐτίκα, ὅμως* particulis appositis, ut Soph. Electr. v. 1025. *ὡς οὐχὶ συνδράσουσα νουθετεῖς τάδε*.

De collocatione voculae *ὅμως* infra explicatius dicetur.

c) nomine aut praepositione vestito aut nude posito.

C. obiecti orbis, si nomen aliquod eius sustinet partes, eodem prorsus modo atque subiecti notio. Infinitivi praeterea cum hoc sit proprium, ut obiecti quoque munere fungatur, saepenumero fit, ut tum novum independeat obiectum, tum ei subiectum forma obiecti simulata accedat. Tam hac igitur verborum structura quam participii usu sub B. b. commemorato ad compositam sententiam transitum aperiri patet.

Vid. Poppo in praef. ad Thucyd. part. II. vol. I. p. 145 sq.

Vis sententiae ex necessariis partibus compositae latius patet, quam cum verbum, in quo tamquam eius nervo summa rerum vertitur, notiones quasdam adiunctas habet; et his quidem vel quo tempore vel quo loco vel qua ratione vel qua de caussa actio aliqua aut conditio in lucem prodeat, manifestari potest. Qui quatuor referendi modi ut in conspectu ponerentur, cum quaternis formis uti Graecis licuerit (sc. adverbiis, participiis, nominibus aut nudis aut praepositionibus iunctis), his fontes, unde miro colorum temperamento orationem variarent laetisque semper floribus distinguerent, undique uberrimos suppetiisse nemo non videt. Quodsi sententiam his notionibus intextis conspicuam diligentius perscrutamur, primum cum obiecto verbum in unius imaginis formam coire invenimus; deinde notioni huic ex duabus conflatae addi licet alteram, qua, ubi quid agi et geri animo fingamus, locus indicetur; tum scitu si opus sit, quae res alicui ad agendum ansam praebuerit, consilii caussaeve notio praedicati orbi iam bis coarctari coepto ita accedit, ut antecedentium obiectorum instar interiorem cum isto societatem ineat. Quae quidem non minus de modi et temporis relatione dicta sint. Voces igitur istae cum et ad effati verbum relatae cogitentur et, quod sibi invicem suppositae habentur, in unum quasi ductum cogi videantur, virgula ipsis interposita, quae ut catenae annuli cohaerent, ea violenter discindi quis non intelligit? Sed notas non esse omittendas nisi ubi diversa inter notiones relationum potestas intercedat, nunc uno verbo monuisse sufficit.[1])

---

1) Suo igitur iure Poppo in censura Thucydid. ed. Dindorf. (inserta est ea ephemeridi, quae inscribitur Allg. Litter. Zeitung ann. 1826 p. 490 sqq.) huic viro docto vitio dat, quod notiones, quae ad verbum definiendum spectant nec non post intercapedinem quandam prodeunt, a toto orationis corpore commatis hic illic diremit. Qui distingendi modus praeterquam quod aliis dicendi generibus convenit, hoc magis admitti nequit, quia saepenumero fit, ut sola eiusmodi notione vis sententiae nitatur, neque aliter enunciatio nisi cum illa cogitando vincta sensum idoneum praebeat. cf. Schneider ad Plat. civit. V., p. 469 B.

Nec magis, si non eo sese ordine vocabula excipiunt, quo animo inter sententiam concipiendam obversantur, ulla incisione opus est; voculam enim suo loco motam ne cum adiacentium alterutra construere tibi in mentem veniat, plerumque, ubi non iam huius indoles dissuadet, aut cogitatum, cuius exspectatio superioribus moveri coepta est, aut tota loci conformatio efficiet. Quod etsi recte nobis statuere videmur, tamen, de industria an negligentia quadam a vulgari collocatione recessum sit, in medio non raro relinquitur. Isocr, Panegyr. 14. *διετέλεσαν — — τὴν πόλιν παρέχοντες — — τοῖς ἀδικουμένοις ἀεὶ τῶν Ἑλλήνων ἐπαμύνουσαν.* cf. Stallb. ad Plat. Phaed. p, 123. Plat. Symp. p. 181. C. *ἔστι γὰρ καὶ ἀπὸ τῆς θεοῦ νεωτέρας τε οὔσης πολύ.* ib. civit. II, p. 358 E *περὶ γὰρ τίνος ἂν μᾶλλον πολλάκις τις — — χαίροι λέγων — —;* Vid. Poppo ad Thucyd. I. I. p. 300 sqq. III. II. p. 664. Schaefer ad Demosth. II. p. 234. Bremi ad Lys. de caede Eratosth. §. 16.

At vero intra fines illos sententia non subsistit; mentis enim curae ac studio sensa distincte et breviter efferendi ea debetur loquendi forma, qua duae pluresve notiones, quatenus simul ad aliam referuntur, mutua ratione comprehenduntur et dignitate ac pretio sese aequiparant. Huius sententiarum generis caussa et origo inde repetenda est, quod notio per plures integras enunciationes diffusa eadem semel quidem ponitur, illae vero, quibus inter sese singulae differunt, notiones sub unum conspectum subiectae huic tanquam comites adiunguntur. Quocirca hoc parataxis genus a contractione quadam ortum ducere arbitreris et eiusmodi sententias contractas haud male nuncupes.

Sed quoniam notionum iuxta se positarum ratio pro simplicium, ex quibus conflatae sunt, enunciatorum natura perquam diversa esse potest, nihil moramur, quominus particulas huc spectantes enumeremus et, quid inter eas intersit, ante oculos ponamus.

a) *σύνδεσμοι συμπλεκτικοί τε, καί* notiones simpliciter vinctas indicant.
b) *ἤ* sive *ἤ-ἤ* particulae vi ponuntur ea, ut notionum utram

velis eligendi quidem potestas tibi fiat, tamen ut altera pɹobata admitti altera nequeat.[1])

c) *μέν-δέ* particulae, notionum pedisequae, vel soli partium totum quoddam constituentium enumerationi adsunt vel voces ex opposito annexas esse declarant.

d) particula *οὔτε* (*μήτε*) bis saepiusve repetita notionum cuique quod *τε* vocula adiudicatur, id abiudicari significat.

e) *οὐκ-ἀλλά* Praetera huius loci sunt voces, quae cum *ἀλλά* societatem ineunt: *οὐ μόνον — ἀλλά καί* (*ἀλλά*), *οὐχ ὅτι* s. *οὐχ ὅπως* (*μὴ ὅτι* s. *μὴ ὅπως*) -*ἀλλά* (*ἀλλὰ καί*), *οὐ μᾶλλον* et *οὐ τὸ πλέον-ἀλλά*, *οὐδείς* (*μηδείς*) aut nude positum ant|voci *ἄλλος* (*ἕτερος*) iunctum-*ἀλλά* vel *ἀλλ᾽ ἤ*.

Particularum sub a, b, d laudatarum proprietas in eo posita est, quod vocabulis intersertae efficiunt, haec ut sua quodque potestate ad totum adornandum conferant, singulae vero unitates una integra haud amplius verborum com-

1) Bekker l. c. p. 961 *διαζευγνύουσι μὲν οὖν τὰς διανοίας, τὸν δέ λόγον συνδέουσιν. ἐὰν γὰρ εἴπω ἤτοι ζῇ ἢ τέθνηκεν, ἕν μέν τι τῶν νοημάτων τίθημι, ἓν δὲ ἀναιρῶ, καὶ οὕτω τὴν διάζευξιν ποιοῦμαι · ὁ μέντοι λόγος συνδεῖται. οὐδέ γὰρ ἐὰν εἴπω ἤτοι ζῇ, τέλειόν ἐστι τὸ ζῇ νόημα, ἀλλὰ δεῖται τῆς ἐπαγωγῆς τοῦ ἢ τέθνηκεν.* cf. ib. p. 963.

Not. Multi quidem, cum interpunctione aut omissa aut immutata locis genuinum sensum restituisse sibi viderentur, in praefationibus et adnotationibus hic illic de ea verba fecerunt, quod congerere operosum et maximam partem inutile est. Nequit enim talibus in transitu observatis multum tribui nec laetiorem in statum hic grammatices locus evehi, nisi si ubique addideris, quo nisus fundamento rationem tuam probari velis, ut, quid eius sit, aliis etiam iudicandi copia fiat. Schneider igitur, qui Platonis in integrum restituti spem nobis laetissimam fecit, illius incommodi probe memor in huius civitatis distinctione adornanda ita versatur, ut, quoties aliorum peccata emendat, simul nos eo loco ponamur, unde, si eius vestigia persequimur, totam hanc artem ad certas leges ex ipsa sermonis graeci proprietate ductas et ad aequabilem exigamus modum, quem scriptores, si licuisset, ipsi sequi non dubitassent. Quare non mirabere, si aliorum, qui rei fortuitae obnoxii arbitrium ac libidinem ducem sequuntur, ratione non habita, quod commentationi huic recti inest, id partim Schneideri praeceptis contineri partim eius inveniendi hunc auctorem extitisse praeclarum ingenue fatemur.

prehensione nitantur. Jam, si non taedio afficeris, singula mecum perlustres.

Primum igitur per τε vel καί cum voces copulantur, hoc fere subest consilium, ut ipsis uno quasi volumine conclusis generalioris notionis cogitationem animo informare iubeamur ac, si iam priori notioni particula apponitur, speremus fore, ut altera ad illius plenitudinem collatura statim succedat (Schneider Akad. Vorles. p. 222).

De ἤ sive ἤ-ἤ ex parte idem statuendum est; addita enim hac particula notiones vel inter se contrarias vel diversas tamquam disiecta corpris membra sub unum conspectum colligimus simul id potissimum sequentes, ut inita subductaque ratione in una ex iisdem omnino esse acquiescendum vel quaecunque eligatur non ita multum interesse eluceat. Quemadmodum igitur, ubi singulare hoc parataxis genus oratio requirit, ibi vocula ἤ necessario suam habet sedem, ita e contrario, si praeter nudam verborum convinctionem nihil spectari velis, praeter duo postrema inter reliqua aut ubique καί omitti licet.

Vinculi defectus iam quaeritur quomodo adiuvari ac suppleri debeat. Quodsi notiones indistincte ponimus, eo aperte offendimur, quod istae per se minime consistere, sed invicem ex se pendêre videntur. Cui incommodo remedium affert qui scribit incisis interiectis; qui recitat, his nisus singula idoneis intervallis ac respirationibus certis distinguit. Notis igitur hoc loco vim quidem inesse volumus vocabula a se disiungendi, sed consilio adiuncto, ut quamquam invitis commatis animo in unitatis orbem comprehendantur. Unde, quod obiter moneo, efficitur respirationes, quatenus logica sententiarum forma temperantur indeque totae pendent, cum interpunctione hac parte concinere, alioquin vero, ubi rhetoricae artis consilia sequuntur, nihil ad eam momenti posse habere.

Jam restat, ut, quae particulae ἀλλά potestas sit et quamobrem a reliquis ea seiungenda videatur, aperiamus. Pariter ac commemoratae singulis ea notionibus accedit; sed quod non adhibetur, nisi ut integra enunciata respiciat (Scnheid. l. c. p. 219 sq.), insigni hoc documento est inde

ab ἀλλά primitus sententiam omnibus suis partibus expressam initium habuisse, cum qua praemissam cohaerere non potuisse particulae vis principalis manifesto docet. Cognatione vero ac relatione inter res utrique sententiae subiectas intercedente fieri potuit, ut prior negatione illustris intacta relinqueretur, alterius eae, in quibus cum ista non conspirat, partes postponerentur. Quae omissio quid efficit, nisi ut membrum posterius, quod per se imperfectum est nec quicquam valet, priori integro magis admotum esse videatur. Utrumque membrum etsi hac ratione in unius effati formam coaluit, nihilo tamen minus duabus totum comprehensionibus complecti iubemur. Notiones enim sibi invicem respondentes simplici gaudere parataxi tum maxime cognosces, si ordinem membrorum inverteris; qua in re ἀλλά excidere vix est curdicam; nec magis cuiquam vereor ne non ex opposito notiones annexae esse videantur. Quarum contraria ratio in eo consistit, quod, quae esse dicuntur, praecedunt, quae negantur esse, his subiiciuntur. ἀλλά igitur suo positum loco notiones, quam ad se rationem ordine membrorum immutato habent, eadem affectas cogitari iubet. Ex quibus efficitur, sicuti post positionem praemissam recte inciditur, item ante particulam adversativam commate distinguendum esse. Interpunctione vero seiuncta animo connectere nostrum est. Idem valet in δέ, quoties ad notionem μέν particula aut vestitam aut destitutam respiciens reliquas partes una cum illa ad totum definitum referendas comitatur. Quamvis enim δέ nec partium sedem inverti patiatur neque ut ἀλλά notionem adiunctam cum tanta vi efferat, ut alterius prae ipsa potestas prorsus exstinguatur, tamen, cum prioris notionis vim paululum temperet ac minuat opposito eo, quod huic est certe ex parte contrarium (Schn. l. c. p. 220), eodem atque ἀλλά loco ponendum videtur. Mera igitur parataxi notionum quoque particula δέ effecta ratio nititur, quae cum aliis particulis nec vincta sit nec vinciri queat, virgulam interseri postulat.

Parataxis campus pertinet etiam ad appositionem, ut vocatur, in eo positam, si nomen nomini per se minus distincto accedit neque cum hoc in unam integram notionem

coalescit, sed, qua prius potestate gaudet, eadem ipsum insigne est. Nihil igitur facilius quam in hac dicendi formula incisa ubique fiant necesse esse in mentem cuiquam veniet; at vero cum logica principia teneri velimus, illis num semper opus sit, consideratius paulo expendemus. Omnium maxime id spectandum est, quales sint ac cuius generis notiones compositae. Aut enim appellatio nomine proprio aut hoc illa aut appellatio appellatione disertius exponitur. Quodsi nominis appellativi notio premitur, n. proprium huic adiectum gignendi casus, quem et poetae praeeunte Homero in *Ἰλίου πτολίεθρον* usurpaverunt, simile fere munus sustinet: *πόλις Θηβῶν*, apud Latinos: regia Syriae cf. Reisig gr. lat. ed. Haase §. 349 et not, 523. Accedit etiam, quod nomina propria includunt attributa quaedam substantiae adeo inhaerentia, his ut a caeteris omnibus commode dignosci queant; unde ipsa, quippe quae singulare aliquid significent, veluti speciem appellationi ubivis subesse patet.[1]) Haud raro etiam, quae postponi debebat, appellatio vel simplex vel amplificata n. proprio ideo praemittitur, ut dignitas ac honor, quo quis certo tempore perque certarum rerum decursum conspicuus fuit, efferatur et cum vi quadam lectoris animo imprimatur: Dem. ct, Mid. p. 90 ed, Bekk, *ὁ στρατηγὸς Φωκίων* ib. p, 91 *ὁ ὕπαρχος Μειδίας*. Dionys. de Thucyd. c. 17 *ὁ Σάμου τύραννος Πολυκράτης*.[2]) Harum formarum nulla ob postpositum n, proprium incisionem admittit.

1) Huiusce rei aliquid potius sensit quam, cur ita sit oporteat, perspectum habet Ruddimannus in institt. gr. lat. II. p. 708 sqq. ed. Stallb., quum verbis; „apposita etiam nomina, si sola aut cum una tantum voce coniuncta, distinctionem melius excludere videntur" haec quidem ad persuadendum apta exempla subiiciat: stella Arcturus. Virg. Ecl. X, 22 tua cura Lycoris," sed indidem v. 26 Pan deus Arcadiae venit" simul eodem trahi velit; quod tantum abest ut nobis probet, ut ne sibi quidem constet post haec praecipiens: attamen si plures voces a nomine apposito dependeant, melius seiunguntur.

2) Latinorum si exempla, quibus haec observatio confirmatur, requiris, cf. Suet. Galb. 4 adoptatus a noverca sua Livia. ib. Vitell. 1 quod ego per adulatores obtrectatoresque imperatoris Vitellii evenisse opinarer, nisi etc. Liv. X, 35 Consu-

Nunc me sequere ad appositionis genus, in quo n. proprium appellationi praecedit. Hic commate distinguendum est propterea, quod fieri nequit, ut notio generalis speciali subiecta sit; partes igitur vi pares habentur nec copula vinctae. At excipiendum videtur, si fluviorum nominibus articulo iunctis vox *ποταμός* accedit; quo fit, ut n. proprium fere adiectivi vim induere videatur nec post ipsum comma locum habere possit.[1]) Neque omnino res mutatur, ubi, cuius quis filius est, pater in gignendi casu positus istum insequitur; patris enim nomen ex voce filii neque ex alia quadam intelligenda pendere haud infrequens articuli defectus manifesto docet. Unde vocabulum patris attributive potius quam, quod vulgo fit, appositive accipiendum esse statuerim. Herod. I, 59 *Λυκούργου Ἀριστολαΐδεω* ib. III, 60 *Εὐπαλῖνος Ναυστρόφου* Dionys Comp. 1 *Διονυσίου Ἀλεξάνδρου* utroque loco Schaeferus libris non suffragantibus articulum poni iubet. cf. Poppo ad Thucyd. I, p. 195, Herm. ad Viger. p. 701. Insolentius paulo verba collocavit Pausan. II, 22 *τῆς Φορώνεως Νιόβης*. Omitti articulum in his tum maxime invenies, cum, quid ad plures simul referatur, memoriae prodi consentaneum sit. Demosth. pro cor. p. 273 *Μενέδημος Κλέωνος*, *Δικόμαχος Διοφάντου*. Contra ubi aliquot sua quisque ratione fecisse aliquid perhibentur, articulus fere ideo additur, quo singulis separatim et cogitatis et enunciatis maior vis ac gravitas concilietur: Xen. Mem, 1, 2. 30. Caeterum in his ut in aliis multis ad syntaxin pertinentibus non omnibus et scriptoribus et aetatibus idem probari iam pridem adnotatum est. Juvat igitur hoc unum commemorare, Herodotum articulo persaepe uti, quum ipsi in rerum facie ostenden-

---

lem M. Attilium vel solum, si nemo alius sequatur, iturum adversus hostem. ib. XXVII, 1 init. In Italia consul Marcellus — Maronem et Moles — vi cepit;" contra in fin. cap. legitur Marcellus consul," utpote quem hac dignitate exornatum iam lector memoria custodiat.

1) Exemplis a Matthiaco l. c. §. 274 ex Herod., Thucyd. et Xenoph. collectis addas Diodor. XIV, 29 *τὸν Φάσιν ποτ.* ib. *ὁ Πάδος ποτ.*

da miro studio immoranti id in primis spectandum sit, ut singula in conspectum protrahantur et clare emineant, Thucydidem vero ac Xenophontem in articulo n. propriis adhibendo parciores aliquanto esse. Sed iam in viam redeo; restat enim, ut, quae appellationis appellationi adiectae ratio sit, paucis absolvam. Et posterior quidem cum alteri enodatius definiendae inserviat, fieri potest, ut particula ἤ interserta sit; in quo iungendi modo non licere distingui supra ostendimus. Omissa vero particula quoniam id assequimur, ut, sive hanc sive illam notionem eligas, res nihil mutetur omnisque correctionis species per particulam oblata evanescat, alterutram alterius vices explere posse ac legitimam appositionis formam haberi patet.[1]) Addo etiam post appositam notionem non male virgulam repeti, qua reliquas enunciati voces ad notionem, quae premitur, neque ad appositionem, quae rei velut extrinsecus illatae prae se speciem fert, referre cogamur.

Ab appositionis vi proxime abest epexegesis, quae iam inde ab Homeri aetate scriptoribus adamata in eo consistit, si pronominibus οὗ κ. τ. λ., ὁ ἡ τὸ, οὗτος, ὅδε, ἐκεῖνος insequentis vel nominis vel participii vel infinitivi exspectatio moveri incipit aut eorundem praemissorum animo tamquam denuo notiones repraesentantur (Bernh. l. c. p. 284.) Omnino enim quamvis οὗ sive ὁ praemisso de notionis postpositae ratione certiores fiamus, tamen, cum haec et pronomen eodem casu distincta vi plane paria sint, fieri

1) Praeceptorum, quae hic tradidimus, vis nequaquam infringitur, si verborum per appositionem adiectorum positura est ea, ut cum praecedente notione arcte cohaereant. Fit enim pronomine indef. τις inappositionis fronte collocato, ut, hoc ubi sono plane caret, distingui non possit. Neque audiendus est Kuehner (in gr. gr. ampl. II p. 332. not. 4), qui quamvis Buttmanni opinionem (in gr. gr. ampl, I. p. 63) amplexus in Theocr. I. v. 32 ἔντοσθεν δὲ γυνά, τι θεῶν δαίδαλμα, τέτυκται commata utrinque posuit. Ante encliticas quando incidendum sit, egregie docet Schneider ad Plat. civ. I. p. 337 B et E. Praeterea Kuehnero de vetererum interpunctione somnianti istius structurae inde videtur excusatio habenda, quod antiquitus hae effati particulae nec incisis a reliquo orationis corpore divulsae nec separatim enunciatae sint.

nequit, ut invitis grammaticae praeceptis utraque pars coniunctim cogitetur. Ex quibus apparet commatis, quod Schneider ante verba epexegesi inservientia ponendum esse primus diserte monuit, usum plane non recedere a propria eius vi, quae in simplici enunciatione cernitur. Quodsi virgulae huc inferendae rhetoricum consilium subesse sumis, huic argumento reputes velim non multum tribui posse, cum illam loquendi formam ipsam non aliis quam rhetoricis niti consiliis apertum sit (Bernh. l. c.), neque, ubi grammaticae leges sint impedimento, verborum quasdam complexiones, quae suum sibi efferendi modum requirunt, commatis includi licere (vid. Poppo in cens, supra l.) Quod enim periodi membrum quaeve vox inter caetera omnia gravitate ac pretio emineat, si quis cui notarum adiumento planum facere conetur, is meminerit neque in ea, quam indistinctam reliquit, parte verba eodem esse loco, sed aliud alio superius; in cuius disparilitatis notitiam quia adducamur necesse est, nova signorum cohorte quae secundarias agant partes indicari oportebit. At vero cum ne hic quidem praesertim in periodo ad magnam amplitudinem extensa commode subsistere liceat, ultra modum frequentato destinctionum numero vereor ne grammaticus verborum nexus misere discerpatur. Non video igitur, cuius emolumenti spe nisi viam initam valere iubeamus.[1])

Pronomina *οὗτος, ὅδε ἐκεῖνος* nude posita aut nomini iuncta ubi a nomine vel infinitivo vel participio excipiun-

1) Etiam rationem a Beckero in gr. teuton. ampl. initam uberiusque quam subtilius tractatam qui probet, vix quisquam reperietur. Posteaquam enim is dixit soni esse rationem (Tonverhältniss), qua unitas effati conficiatur, notarum usum ita dirigit, ut fere, ubi vox diutius aut brevius consistat, ibi fortius aut lenius incidi iubeat. Cui legi firma ratione derelictae ne exempla undique congesta et ab aliis aliter distincta adversari videantur, interpunctionis discrepantiae caussam potius nunc ex apodosis nunc ex protasis indole quam ab auctoribus in hac re parum curiosis aut diversa fere sequentibus repetere sustinet Neque Schaeferus totam se rem confecisse opinari debebat statuentem (ad Demosth. p. II. 205): interpunctionem hunc unum habere usum, ut regat pronuntiationem.

tur, propioris referendi modi defectu efficitur, ut epexegesis verba cum antecedentibus non in unum conflari nec virgulam abesse posse clarius etiam appareat; etenim genus quoque est ubi utriusque partis secum discrepet. Jakob. ad Lucian, Toxar. p. 136. Ast ad Pl. Polit. p. 466. Gorg. p. 491 D. Xen. Hellen 4, 1. 2. Pl. Hipp. mai. p. 299 D et 302 A. ib civit. X p. 603 E et V p. 469 B--*καί τοῦτο ἐθίζειν, τοῦ Ἑλληνικοῦ γένους φείδεσθαι*--. ib. X p. 606 B postquam Schneid. in adn. Bernhardii opinionem pronomini *ἐκεῖνος* epexegin perraro adhiberi dicentis tribus locis allatis (addas Eur. Phoen. v. 545 et Pl. civit. VII. p. 526 E) refutavit, Kuehnerum l. c. p. 300 miror illius partes pertinaciter amplecti potuisse. Jakobitzius in ed. Lucian. Charon. Schneideri moniti probe memor fuit, cf. Addenda. Bernhardium, qui l. c, p, 284 Pl. civit. II. p, 359 B--*μάλιστ᾽ ἂν αἰσθοίμεθα, εἰ τοιόνδε ποιήσαιμεν τῇ διανοίᾳ· δόντες ἐξουσίαν ἑκατέρῳ ποιεῖν--εἶτ᾽ ἐπακολουθήσαιμεν*--affert, egregie fefellit participium *δόντες* pronomini *τοιόνδε* subiectum; quod cum non dubium sit quin ad verbum *ἐπακ.* paullo post obvium pertineat, integro enunciato illud *τοιόνδε* describi statuendum est; cui rationi indicandae colon inservit.

Rarius paullo factum est, ut cursus enunciati a nomine aliquo incipientis de via ita deflecteret, ut verbo, quod exspectabas, pronomen *οὗτος* ad illud relatum praemitteretur. Scriptores vero hoc dicendi genere eo videntur consilio usi esse, quo notioni alicui animo tamquam bis oblatae maior quam reliquis vis concilaretur. Aelian. var. hist. 12, 19 *τήν ποιήτριαν Σαπφώ*---, *ταύτην καὶ Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος σοφὴν ἀναγράφει*. Matth- l. c. p. 877 b. Xen. Conviv. 8, 33. ib. Agesil. 4, 4. Pl. Charm- p. 163 C. Interdum etiam, ubi nomen praegressum excipit parenthesis et verbum, ad quod istud refertur, in exitu demum sententiae prodit, non quidem pronomen *οὗτος*, sed ipsum nomen repetitur, vid. Herm. ad Viger. p, 174. In maius crescit emphasis fortiorque evadit disiunctio, quando *δή* sive *δέ* prononini accedit: Herod. VI, 58 *φάμενοι τόν ὕστατον αἰεὶ ἀπογενόμενον τῶν βασιλέων, τοῦτον δὴ γενέσθαι ἄριστον*. cf.

Buttm. ad Dem. Mid. p. 152. Engelh. ad Pl. Menex. p. 252. Latius patet usus structurae eius, qua notio una vel complures, vim ut gravissimam suam prodant, in nominativo positae nec insequentis pronominis casui accommodatae sententiae praefiguntur; Pl. Gorg, p. 474 E. Aesch. S. c. Theb. v. 666. Pind. Pyth, IV, 270 *ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον μόναρχον καὶ θρόνος---, τὰ μὲν κ. τ. λ.* ad augendam vim oppositionis. Idem valet in participia, quae propterea non multum abest quin merae notionis potestate deposita sententiae dignitatem induant. Quod ubi fit, aliquot semper voces participium adiunctas habet: Il. ζ, 510 *ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς, ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει κ. τ. λ.* Eur. Palam. fr. 8 *πάλαι δή σε ἔξερ, κ. τ. λ.*[1]) His cave ne confundas eos locos, qui melius referuntur ad levius anacoluthiae genus, quo participium aliquod non expressi verbi, sed alius substituendi casui convenit: Herod. IV, 132 *Δαρείου μὲν ἡ γνώμη ἔην Σκύθας ἑωυτῷ δίδοναι σφέας αὐτοὺς--εἰκάζων τῇδε-.* Thucyd. VII. 42 *καὶ τοῖς μὲν Συρακ--κατάπληξις οὐκ ὀλίγη ἐγένετο-ὁρῶντες* (sententiam conditionalem intertextam non respicimus). In his et similibus locis cum a logico enunciati subiecto participium cogitatione divelli nequeat, comma exarari non licere patet. Vid. Lobeck ad Phryn. p. 755 not.

A participiorum ratione modo enodata plane abhorrent ea, quae nominandi casu distincta cum sententia adiecta nullum interiorem ac syntacticum habent nexum, quale est illud Herod. II, 66 *ταῦτα δὲ γίνομενα, πένθεα μεγάλα τοὺς Αἰγυπτίους καταλαμβάνει.* Bernhardii opinioni hanc loquendi formam l. c. p. 479 dicentis substantiva niti participiorum vi adversari videtur Hermannus, cum in exemplo isti simillimo lib. Esdrae 1, 10 *καὶ ταῦτα τὰ γενόμενα, εὐπρεπῶς ἔστησαν οἱ ἱερεῖς καὶ Λευῖται* (Viger. p. 771) articulum *τά* delendum esse censeat, quippe quo servato participium *γενόμ.* substantivi naturam induat nec iam verbi loco esse

---

1) Valkenarii, qui in adn. ad Eur. Phoen. v. 292 participia absolute posita ordine quodam primus disposuit, vestigia me persequi neminem eruditum fugiet.

possit. Neque cum illo facit Valckenarius, qui in Eur. Phoen, v. 292 μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος --Ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν participium in genitivum absolutum resolvi posse dicit; quod idem adhibuit Scholiastes Soph. Oed. Col. v. 1120 nunc ab Hermanno aliter constituto ac rectius explicato. Retulerim huc etiam Thucyd. II, 53 θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε, τὸ μὲν κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ κ. τ. λ. ubi Hermanni sententia (Viger. p. 348) verba inde a θεῶν usque ad ἀπεῖργε pro θ. δ. φόβῳ ἢ ἀνθρ. νόμῳ οὐδενὶ εἴργοντο dicta esse contendentis nihil sane proficitur; immo vero quominus haec interpretatio probari possit, obiecti ad ἀπεῖργε spectantis defectus meo quidem iudicio summopere obstat.

Jam, quod est de duobus pluribusve aut adiectivis aut adverbiis aut participiis copula non vinctis, caput in graeca syntaxi late patet neque superiorum ulli gravitate cedit. Totius vero rei summa in eo vertitur, ut cum duplex istorum ratio esse queat, utram cuiusque loci natura requirat, ex peculiari eius argumento ac toto enunciati habitu diiudicare scias. Quo ut pervenias, ea profecto, qnae VV. DD. Schneider od Plat. civit., Dissen ad Pindar. ed. Goth. p. 303 sqq., Herm. ad Eur. Hec. p. 54 et Matth. l. c. II. p. 444. 3 ed. alt. docent, te miris iuvabunt modis (cf. Kritz ad Sallust. Jug. p. 172. Jen. Litt. Zeit. 1812. N. 160.) Quia notionem, quae nomine substantivo et epitheto comprehenso efficitur, pro simplici haberi licet, eiusmodi unitati si alterum addimus adiectivum, non magis verendum est ne logices praecepta negligamus, quam si singulae notionis orbem apposito epitheto coarctemus. Verum, ubi adiectiva statuas pari aut impari vi posita esse, quaerenti id omnino spectandum est, utrum scriptoris animo nominis alicuius, quod cumulatis adiectivis definitius expediatur, generalis notio obversata sit an notionis cuiusdam orbem iam adiectivo coarctatnm altero epitheto iste uberius illustrare voluerit. Quodsi prior illa ratio locum habet, post singula epitheta esse incidendum supra demonstravimus; qua insuper structura Matth. l. l. bene adnotat effici, ut diversae notiones adi. in unius imaginis formam

facilius colligantur, quum contra copula interposita singulae singulis tamquam partes separatim cogitatae annecti videantur.[1]) Addo Dissenii sententiam, qui l. c. hoc ut saepe necessarium ita aptum etiam esse dicit in amplificatione laudis. Ubi vero alteram rationem adiectiva sequuntur, incisio absit oportere sponte patet. Merito igitur Schneid. in Plat. civit. I. p. 336 A. *οἶμαι αὐτὸ εἶναι ἢ--ἤ τινος ἄλλου μέγα οἰομένου δύνασθαι πλουσίου ἀνδρὸς* virgulam post *δύνασθαι* vulgo exaratam eiecit, quoniam vox *ἀνδρός*, cuius aliqua persona divitiis abundans sit generis, hoc loco simpliciter significat atque eius et *πλουσίου* una integra notio proponitur. Eur Hippol. v, 128. Hesiod. theog. v. 160 *δολίην κακὴν τέχνην*. Spectat huc potissimum vox *πολύς*, quae, etsi saepissime comite *καὶ* gaudeat, tamen, ubi notioni ex substantivo et epitheto effectae accedit, copulam respuit, ut Herod. VII, 23 *πολλὸ ς ἀληλεσμένος σῖτος* viel gemalenes Korn i. e. viel Mehl. Hom. Il. XI, v. 307 *πολλὸν τρόφι κῦμα* viel Wogengethürm. Idem cadit in notionem illi contrariam *ὀλίγος*. Namque formula *ὀλίγοι ἀγαθοί ἄνδρες* utendum est, ubi coetus virorum diiudicatione facta tum bonos tum malos adesse, hosque numero illos exsuperare invenimus, contra ea *ὀλίγοι καὶ ἀγαθοὶ ἄνδρες* hac nititur ratione, ut hominum, qui et numero sunt parvi et virtutis laude affluunt, certùm quendam ordinem animo conceptum habeamus. — Quod Dissen ad Pindar p. 383 voces *μόνος ἄνευ στρατιᾶς* cumulate positas esse dicit, hoc minus certe probabitur reputanti voce *μόνος* praemissa conditionem Pelei in Jolco capiendo detenti in universum significari; hic quum in mortis periculum adductus comites armatos secum habuisse putandus sit, poeta, ne quis hoc de Peleo suspicaretur, *ἄνευ στρ.* specialiter addidit. Unde haec verba illi *μόνος* subesse nec recte inciso divelli pa-

1) Quod vero in primis poetae copulam adiectivis interserere omittunt, eius rei puta hanc esse caussam, ut alicuius rei descriptio, quae adhibita illa languidius paullo procedit, vividior fiat ac pro loci consilio maiore cum vehementia et impetu feratur, vid. Hom. Il. XVIII, 275, 723, 746. cf. Elmsl. ad Eur. Med. v, 807 et 815. Lob. ad Soph. Ai. p. 129.

tet. Forma etiam grammatica fit, ut in his et similibus prior vox nomini vel expresso vel mente repetendo, altera verbo propius iungatur, cf. Hom. Il. XXII, 39 οἶος ἄνευθ' ἄλλων. Odyss. IV, 367 οἷος νόσφιν ἑταίρων ib. XXI. 364. οἶον ἀπ' ἀνθρώπων.

Complura participia ubi ad eiusdem praedicati orbem pertinent, aut simili et eodem prorsus modo ad id referuntur aut ita inter sese cohaerent, ut aliud alio modo isti subiectum sit. Jam exemplis aliquót tum has regulas tum ea, quae ad hypostigmen aut admittendam aut omittendam spectant, illustrare conabimur.[1])

Ad. 1. Quodsi singula participia sese deinceps excipiunt, ne alterum alterius caussa adesse, sed pari vi ad totum quoddam efficiendum conferre singula existimentur, virgula facit interposita, ut in Xen. Auab. V, 4. 22 τῇ δ' ὑστερείᾳ θύσαντες,--ἀριστήσαντες, ὀρθίους τοὺς λόχους ποιησάμενοι--ἐπορεύοντο ubi participiis, quae profectioni antecesserant, de iis certiores fimus: sacra eos fecisse, prandium sumsisse, rectos composuisse ordines. Ib. Hellen. I, 6. 8 κἀκεῖθεν πέμψας,--ἐκκλησίαν ἀθροίσας εἶπεν. Plat. Phileb. p. 53 ed. Stallb. Hom. Il. φ, 324. ib. θ, 231. Odyss. μ, 256 sqq. Dem. de coron. §. 96. Quum contra duobus participiis, quorum eadem est potestas, praedicatum interiicitur, in hac verborum collocatione non opus esse distinctionem ac melius excludi equidem arbitror.

1) Editores quidem hic illic de participiis nulla copula ad dita positis notarunt, ut Heind. ad Pl. Protag. p. 562. Stallb. ad. Pl. Euthyph. p. 27. Bornem. ad Xen. Anab. III., 1. 13. Voigtlaend. ad Lucian. Dial. Mort. XII p. 67 sq. Forsterus in ind. II. partic. Platonis, ad interpunctionis vero rationem animum, uti par erat, praeter Schneiderum nemo advertit; alioquin enim non factum esset, ut interpunctio nullis firmata rationibus in libros irreperet. Etiam Knehner quamquam in emendationibus calci gramm. gr. ampl. adiectis se, ubi teutonicae interpunctionis leges Graecorum usui adversantur, in syntaxi lectorem monuisse dicit, tamen, quod mentione dignum sit, nusquam me legere memini, vid. II. p. 478; potius mira in distinctionum usu inconstantia et incuria grammaticum artis, cuius ait praecepta in vulgus esse adnota, non ita gnarum esse prodit, cf. ib. p. 500, 501, 502, §. 801. 1.

Ad. II. Hac partcipiorum compositione graecus sermo maxime est conspicuus, neque recentiorum linguarum ulli, quo multiplex variaque animi cogitationum ratio tanta vi efferri queat, tantum inest brevitatis studium. Plat. civit. III p.388 *A--τοτὲ δ᾽ὀρθὸν ἀναστάντα πλωΐζοντ᾽ ἀλύοντ᾽ ἐπὶ θῖν᾽ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο, μηδὲ ἀμφοτέρῃσι ἑλόντα κόνιν αἰθαλόεσσαν χευάμενο[ν] κακ κεφαλῆς* post *ἀναστάντα* et *αἰθαλ.* in editt. vulgo commate distinguitur; Schneider actionem participiis *ἀναστ.* et *ἑλ.* expressam intelligens *τῷ πλωΐζειν* et *τῷ χεύασθαι* subesse, id quod clarius etiam apparebit, si sententiam separatim enunciaveris, virgulam, quae eandem temporis rationem inter participia intercedere significaret, suo iure eiecit. Loci enim sensus est: Achilles postquam surrexit, mente luctu consternata in salis sterilis litore oberravit "et., pulverem sordidum utraque palma correptum desuper capiti iniecit. cf. Dem, de coron. §. 87. Plat. Phileb. §.32 ed. Stallb. *τί δ᾽ ὁ ξυναμφότερος, ὦ Πρώταρχε, ἐξ ἀμφοῖν ξυμμιχθεὶς κοινὸς γενόμενος* ubi quum editor bene dicit *ἐξ ἀμφ, ξυμμ.* modum indicare, quo *βίος* ille *κοινός* fiat, hoc magis mirandum est, quod comma ante *κοινός* posuit. Quod vitium ut evitaretur, iam ab Heinrorfio consultum erat, qui in Pl. Phaedr. p. 251 D--*τὰ τῶν διεξόδων στόματα--συναυαινόμενα μύσαντα ἀποκλείει τὴν βλάστην τοῦ πτεροῦ* una cum *καί*, quod Stephanus ante *μύσαντα* excidisse suspicabatur, distinctionem post *συναυαιν.* omittit, ut quo caussa *τοῦ μύσαντα ἀποκλείειν* contineatur. Cui loco conferri potest Lucian. Asin. 18 *ἐγὼ δὲ οὐκέτ᾽ ἀνεχόμενος ἀπολακτίσας ἀμφοτέροις καί καταβαλὼν ὕπτιον ἐπὶ τῶν λαχάνων ἔφευγον ἄνα ἐς τὸ ἄστυ* ubi *οὐκέτ᾽ ἀνεχ.* causam *τοῦ ἀπολακτ.* continet. Quibus expositis neminem iam fugiet Hermannum Soph. Oed. Col. v. 172 *ὦ ξεῖνοι, μὴ δῆτ᾽ ἀδικηθῶ σοι πιστεύσας μεταναστάς* vitiose cum virgula post *πιστ.* exaravisse. Reizius, quem Matth. laudat l. c. §. 557. 3, ad Lucian. Toxar. init. (tom. VI. p. 424)--*ἀλλὰ καὶ τὴν Ἄρτεμιν αὐτὴν ἀποσυλήσαντες ᾤχοντο ἀποπλέοντες καταγελάσαντες τοῦ κοινοῦ τῶν Σκυθῶν νόμου* adnotat: *ἀποπλ., καταγ.* duo participia sine copula habuimus etiam supra Alex. c. 19 *ἐκπεσὼν τῆς οἰκίας, εἰς τὴν Κιλικίαν*

ἀφικόμενος" quem locum illi esse dissimillimum, certe ad Reizii sententiam adiuvandam adhiberi non posse facile apparet Etenim cum modum, quo quis evaserit (οἴχεται), participio verbi alicuius motum significantis accedente (ἀποπλ. navigio) indicari in graeco sermone solemne sit, utrique verbo tamqnam in unum conflato non mirum videri potest alterum apponi participium, quo, cui insuper actioni navigatio iuncta fuerit, disertius exponatur. Quodsi Reizius omissionem copulae ad ἀποσυλ. et καταγ. referri voluisset, tam participiorum positura quam sententia verbis subiecta adversaretur: sed ipsa etiam Artemide spoliata navigio communi Scytharum instituto irridentes evâserunt.[1]) In Pl. Phaedr. p. 228 B--καὶ τοῦτο δρῶν ἐξ ἑωθινοῦ καθήμενος ἀπειπὼν εἰς περίπατον ᾔει loco huic simili, Heindorfius rationis suae immemor singulis participiis, ut quorum sua quodque vi ad primarii verbi orbem illustrandum conferret, virgulam interseruit. Verumtamen, si quid video, ad participium ἀπειπών, quo causa τοῦ ἰέναι εἰς περ. continetur,reliqua duo ita referuntur, ut, quo homo defatigatus sit (sc. legendo), id priori, conditio, qua usus actionem istam peregerit, altero designetur; notiones igitur hoc fere modo cohaerent: quo negotio inde a solis ortu inter sedendum perpetrato defessus ad ambulandum sese accinxit.[2]) Postremo lectorem iam relego ad Pl, civit. II p. 366 A, locum participiorum concursu in primis notabilem; comma, quod puerorum, credo, in commodum Stallbaumius ante πείθοντες fecit, tum quo καί post κερδανοῦμεν τε illatum pertineat tum quomodo πείθ. ad reliqua participia referendum sit, quominus intelligas, magno est impedimento. Peius etiam Matth. l. c. p. 1099 hanc sententiam dedit inter-

1) Hom. Odyss. δ, 114 δάκρυ δ' ἀπὸ βλεφάρων χαμάδις βάλε πατρὸς ἀκούσας χλαῖναν--ἄντ' ὀφθαλμοῖιν ἀνασχών vis et effectus, quem in Telemachum nuntius de patre acceptus habuit, verbo declaratur primario, cui postetior actio ut dignitate inferior legitima forma subiecta est.

2) Heindorfii interpunctio id qnoque offsnsionis habet, quod verba ἐξ ἑωθ. καθ. declaratio proxime praecedentium esse videntur; cum tamen τοῦτο δρῶν ad praegressa referri apertum sit.

punctam. Schneider recte notas sustulit. — Scriptores puro dicendi genere conspicui cum nihil antiquius habeant, quam ut animi sensus aptis et planis enuncientur verbis, ac partes iuste inter se cohaereant, neque participia nisi ita orationi inserunt, ut ubivis integrum eius corpus atque compositionis unitas servetur. Sed non desunt, qui frequente ac paene nimio participiorum usu delectentur; in quibus Polyaenus, quatenus stilo eius imbui mihi contigit, participiis persaepe orationem adeo confercit et onerat, ut, quomodo singula membra in unitatem periodicam redigantur, vix possis statuere, et sententia claudicanti similis incedere videatur. Sed in talibus ut a vulgari ratione remotis hic immorari non licet.

Simplex periodus s. sententia composita

inde trahit originem, quod verbo excluso vel notionum aliqua sententiam constituentium enunciatione ad hanc relata uberius describitur vel omnino integra sententia merae notionis vices explet. Quod si tenemus, tria effatorum secundar. genera esse patet. Quorum primum cum ab adiectivi potestate proxime absit, sententia adiect. non male vocatur; secundum, cuius aut subiecti aut obiecti est agere partes, sent. substantiva; tertium denique quia adverbii loco circa praedicati orbem illustrandum versatur, sent. adverbialis. Exempla addo haec:

I. Pl. Hipp. mai. p. 282 C *οἱ παλαιοὶ, ὧν ὀνόματα μεγάλα λέγεται.* ib. Apolog. p. 41. *Α αἱρήσει τοὺς δικαστὰς, οἵπερ καὶ λέγονται δικάζειν.*

II. Xen. Anab. II, 1. 3. *τοῦτο ἔλεγον, ὅτι Κῦρος τέθνηκεν.*

III. ib. Cyrop. I, 3. 18 *ὅπως οὖν μὴ ἀπολῇ μαστιγούμενος, ἐπειδὰν οἴκοι ᾖς.*

Notiones ut non aliter connecti possunt nisi terminationum adminiculo, ita duarum sententiarum altera ne suis uti legibus, sed quocunque modo ex altera pendere dicatur, pronomine relativo et coniunctionibus illatis efficitur. Verum ne citra necessitatem ac temere virgula utrique enunciationi interseri existimetur, sententias vinciendi rationis, qua vetustissimi ingenii foetus conspicui sunt, mentione iniecta facile speramus rem eo perductum iri, ut nullus dubitandi locus relictus esse videatur.

Locutio cum non ante periodica haberi possit, quam rationis relativae et coniunctivae tutae ac certae exstent formae, Homero quidem, cum sententias fere vi impares ut eadem potestate prolatas componat, illam omnino adiudicari non licet, tamen non est, cur et particularum et pronominum dem. formas quasdam tum iam eum in usum negemus converti esse coeptas, quo inde ab hoc tempore per totam graecitatem florent. Sed ut utramque partem seorsum persequamur, a pronomine rel. initium facimus. Proficiscendum est a testimonio Apollon. de pronom p. 71 ἡ ὅς τὴν αὐτὴν σημασίαν ἔχει ἥ ὁ quod, cum ὁ non dubium sit, quin apud Homerum vim includat demonstrativam, sat multis confirmatur locis: Il. I, 9 ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς νοῦσον--ὦρσε. ib. v. 333, 606. Od. α, 286 ἐλθὲ--παρὰ ξ. Μενέλαον· ὃς γὰρ δεύτατος ἦλθεν Ἀχαιῶν. Eadem sententia vox utraque continetur Il. XXII, v. 201 ὡς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν οὐδ᾽ ὃς ἀλύξαι quod exemplum addas Matth. l. c. §. 289. Pronominis ὅς potestatis antiquitus tritae praeter ὃς καὶ ὅς, καὶ ὅς et ἦδ᾽ ὅς (Matth. l. c. §. 484) vestigium superest in formula οὓς μὲν-οὓς δὲ vel οὓς μὲν-τοὺς δὲ vel τοὺς μέν-οὓς δὲ apud scriptores posterioris aetatis obvia, Appian. Punic. p. 59, Aelian. var. hist. VI, 1 vid. Viger. p. 25 sq. Via his munita transeundum est ad eos locos, qui, cum pronomon dem. in utroque membro occurrat, relationis simplicissimum et incultissimum genus exhibent, cf. Thiersch gr. gr. ampl. §, 316, 11. Il. α, 125 ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξ ἐπράθομεν, τὰ δέδασται. Nec vero hac in manca ratione subsisti potuit eoque postea processum est, ut, cum propiorem quendam nexum inter utrum-

que effatum intercedere sentirent, pronomini membri potestate alteri cedentis vocula *τε* adderetur.[1]) Il. *δ*, 84 *φιλότητα μετ' ἀμφ. τίθησιν Ζεύς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.* Convinctionis sic paratae postquam usus in animo ac memoria hominum insederat, non mirum est *ὅς* nudum et copula orbatum per temporis decursum eam recepisse naturam, qua antea nisi hac apposita uti non solebat: Il. *ζ*, 460 *Ἕκτορος ἥδε γυνὴ, ὅς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι Τρώων.* Sed quo minus firme ac constanter pronomen *ὅς* vim articuli subiunctivi retinuisse existimes, aliquot vetant loci, quibus enunciatum continetur bimembre, cuius prior pars *ὅς* praefixum habet, altera per *δέ* vel *τε* vel *καί* huic vincta aut omnio isto caret aut aliquem pronominis tertiae personae casum obliquum includit. Cum vero nullum apud Homerum exstet exemplum, quod relationem per duo membra continuatam esse aperte ostendat, non possum, quin ab Hermanno dissentiam, qui in adn. ad Viger. p. 707 sq. partem enunciatorum sic conformatorum repetitione articuli, partem pronomine personali intelligendo vult explicari; equidem certe non video, quidnam habeatur discriminis inter Odyss. XX, 341 *ἀλλὰ κελεύω γήμασθ' ᾧ κ' ἐθέλῃ, πόρι δ' ἄσπετα δῶρα δίδωσιν* et hymn. in Minervam: *ἣ σὺν Ἄρηϊ μέλει πολεμήϊα ἔργα καί τ' ἐῤῥύσατο λαόν.* Cumque Hermannus dicit posterioris loci rationem niti structura eorum, qui in altero membro pronomen adiunctum habent, V. D. non animadvertit huius verba esse eiusmodi, ut pronomen abesse nequeat, nec quicquam eos locos ad hanc sententiam confirmandam valere. Il. *α*, 78 *ὃς μέγα πάντων Ἀργείων κρατέει καί οἱ πείθονται Ἀχαιοί.* Od. *α*, 70 *ὅου κράτος ἐστὶ μέγιστον πᾶσιν Κυκλώπεσσι, Θόωσα δέ μιν τέκε νύμφη.* vid. Thiersch l. c. p. 671 ed. III. Contra ea exempla ad Vig. p. 707 adscripta natura sic comparata sunt, ut pronominis omissio hoc facilius ferri possit, quod

---

1) Tota fere disputatio nititur, ut par est, subtilissima Schneideri quaestione (Akad. Verl. p. 14 sqq.), cui quod adiici posset, praeter tenues aliquot spiculas nihil propemodum relictum est.

vel verbi terminatio sola relationi illo indicandae satisfacit, vel animi cogitatorum nexus attente legentem sponte eo deducit, ut, quid intelligi debeat, facillime assequi possit. Parataxin in Homeri carminibus regnare ex modo, quo hic correlationem (*τὸ ἀνταπόδοτον*) instituit, non minus clare cognoscitur. Ac primum quidem copula deprehenditur in sententia postposita, quae sermone magio exculto primarias partes sustinet: Il. *α*. 218 *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ᾽ ἔκλυον αὐτοῦ,* quam dicendi formulam qui Atticorum usu ac more iudicare et expedire conatur, is vereor ne Homero aliena et ab eius aetate remota inculcare putandus sit. Saepius multo *δέ* posteriori parti accedit: Il. *ι*, *ὅς μέν τ᾽ αἰδέσεται κούρας Διὸς ἄσσον ἰούσας, τὸν δὲ μέγ᾽ ὤνησαν.* ib, *κ*, 489 sq. Est etiam, ubi oratio a cursu incepto ita deflectit, ut ob nexum inter utramque partem fere solutum relationem potius logicam quam grammaticam dicas: Il. *α*, 549 *ὃν δὲ κ᾽ ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλωμι νοῆσαι, μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο μηδὲ μετάλλα.* Quodsi *δέ* omittitnr, documento hoc est de mutua sententiarum relatione iam certo cogitari coeptum esse.

Virgula enunciatis interiecta id omnino consequi volumus, ut haec quidem in maiorem unitatem connectantur, tamen pro partibus separatim cogitandis non possint non haberi. Comma igitur in simplici periodo contraria vi atque in sententia contracta ponitur. Quod ut ita esse statuamus, res ipsa suadet. Neque enim iam merae notiones, quae ex sese invicem aptae in unum coëunt integrum, hic sententiam constituunt, sed duo effatorum ordines habentur, quorum neutri ad integritatem quicquam deest nec voces alteri orbi adscribendae intermixtae sunt. Estigitur, cur hoc discrimen ante oculos ponendum censeamus. Neque grammaticos quamvis potius recti quodum sensu motos quam veram rationem assecutos ab incidendo hic abstinuisse ex commentariis ad Dionysii Tkracis *τέχνην* scriptis elucet: Bekk. l. c. p. 759 *ὑποστιγμή ἐστιν ἐννοίας οὐδέπω ἀπηρτισμένης, ἀλλ᾽ ἔτι ἐλλειπούσης σύμβολον, ὥσπερ ἐάν εἴπω ὃ ν θ έ λ ω, τοῦτο μόνον εἰρηκὼς οὐ δύναμαι ὅσον θέλω σιωπῆσαι, ἀλλ᾽ ὁ ἀκούων ἀναγκάζει ἐπαγαγεῖν τὸ λεῖπον. ἐνταῦ-*

θα οὖν πρὸ τῆς ἐπιφορᾶς τοῦ λείποντος τίθεται ἡ ὑποστιγμή. —

Coniunctiones, quae articulo relativo aperte fundamento utuntur, eadem qua hic ipse via suam recepère vim (Schneid. l. c. p. 224); quibus aliquot quamquam non indidem ortum ducentes annumerandae sunt (Thiersch. l. c. p. 602); reliquae item sententiis separatim enunciatis primitus adhibitae, cum nisi altera sententia adiecta non prodirent, diuturna consuetudine sensim eo pervenerunt, ut in vinculi modum hanc cum illa connecterent (Schn. l. c. p. 216). Jam vero cum, si eo quo in exemplis supra allatis ordine voces sese excipiunt, incisione opus esse videatur, certis quibusdam conditionibus vix eam dubium est quin reiici operteat. Qua in re omnia eo redeunt, ut, quando duae orationis partes in unum coalescere dicantur, perspectum habeamus. Verumenimvero quod duo membra unum efficiunt, aut in eorum collocatione aut in attractione, ut vocatur, positum est. Et situ quidem contractionem fieri statuimus, si enunciationi relativae antecedit primaria pronomine demonstrativo destituta, ita ut, quo articulus subiunctivus referatur non expresso, in omissi locum necessario statim posterior sententia succedat, ne alterius orbis imperfectus relinqui videatur: Pl. civit. V. p. 472. D *οἴει ἂν οὖν ἧττόν τι ἀγαθὸν ζωγράφον εἶναι ὃς ἂν γράψας παράδειγμα--μὴ ἔχῃ ἀποδεῖξαι* —; Fructus ex distinctione tuta ratione condita redundantis specimen exhibet illustre ib. II. p. 372. E *ἡ μὲν οὖν ἀληθινὴ πόλις δοκεῖ μοι εἶναι ἣν διεληλύθαμεν, ὥσπερ ὑγιής τις* ubi virgulam post *εἶναι* vulgo factam Schneid. sustulit, ne cui, quo *ἣν* referat, dubium esse possit. Quod modo dictum non minus cadit in adverbia relativa: Xen. Cyrop. III., 3. 5 *ἐθήρα ὅπουπερ ἐπιτυγχάνοιεν θηρίοις.*

Contra ea sententia relativa praemissa fit, ut animo vel subiecti vel obiecti intelligendi notione iamiam oblata cursum per illam emensi in sequentibus nihil amplius desiderare possimus; quare ante posteriorem partem inductam commate incidendum esse rectissime vidit Schneider: Pl.

civit. V. p. 472. D-ὁμολογεῖν, ὅς ἂν ἐκείνοις ὅτι ὁμοιότατος ᾖ, τὴν ἐκείνης μοῖραν ὁμοιοτάτην ἕξειν. ib. 474 C. VII. p. 541. B.

Arctiorem etiam parit nexum attractio in eo posita, si quid eo, quod simul ad duas orationis partes refertur, ad quarum alteram non recte refertur, ambas in unum coniungit Vid. Herm. ad Viger p. 889 sqq. Pl. civ. VII. p. 531 E-- εἰ μὴ μάλα γέ τινες ὀλίγοι ὧν (sc. τούτων, οἷς) ἐγὼ ἐντετύχηκα. Addas locis a Bernhard. l. c. p. 301 congestis: Xen. Cyrop. V., 4. 39. πολλοὺς ὧν ἠπίστει. Pl. civ. VI. p. 486 C.

Neque infrequenter praepositionibus pronomen afficitur; quem locum partes in tres dispescere consentaneum est: etenim praepositio vel ad articulum subiunctivum solum pertinet: Soph. Phil. v. 957. θανὼν παρέξω δαῖθ' ὑφ' ὧν ἐφερβόμην sc. δαῖτα αὐτοῖς, ὑφ' ὧν ἐφ.[1]) — vel ad demonstrativum mente intelligendum: Xen. Anab. I., 9. 25. Pl. Cratyl. p. 386. A. Dem. in Euerg. p. 684 B. Arrian. Alex. IV., 10. 3. et VI., 4. 3. Xen. Hellen. IV., 8. 33. ib.

---

1) Wunderus quidem Hermanni probat sententiam voces ὑφ' ὧν ad θανὼν referi contendentis, sed eodem loco rationis suae oblitus eiusdem fabulae v. 139 conferri iubet; ibi enim aperte ante articulum subiunct. demonstrativum excidit, neque omnino aliter eius omissio ferri posse videtur. Hermannus, quo minus Brunckii interpretatio vera esse censeatur. impedimento esse dicit ὑπὸ verbo ἐφερβόμην iunctum; sed perperam idem agit, cum dicit: non pascimur hercle a feris, quibus vescimur." Certe enim hae ferae, quibus vescimur, non ferunt, afferunt nobis cibum i. e. non agunt, sed patiuntur aliquid, sunt nobis esui. ὑπό quamquam plerumque cum passivis coniunctum caussam significat agentem, efficientem, tamen ab hac vi etiam ita recedit, ut nihil eo nisi instrumentum ac, qua quid fiat, caussa indicetur (vid. Kuehn l. c. §. 617). ἐφερβόμην pastus sum: ferae in caussa fuerunt, ut pascerer. Qua igitur ratione Hermannus eludit Brunckium, secundum eam intelligi et potest et debet. Quodsi illius interpretationem sequimur, in nodos plane inexplicabiles irretimur; etenim ubi, quaeso, Philoctetes queritur se periturum esse per bestias ac non potius se fame peremtum (θανών notio generalior pro specialiori αὐανοῦμαι v. 954) cibo fore feris?

Memor. II., 6. 34. — vel ad utrumque: Pl. civ. III. p. 402 C--καὶ ἐνόντα ἐν οἷς ἔνεστιν αἰσθανώμεθα.

In attractione, quam grammatici inversam dicunt, nomen, cui articulus relat. illustrando adest, huius casui accommodatum sententiae adiectivae vel praefigitur, ut Herod. II., 106. Soph. Electr. v. 653. Hippocr. morb. 4, 11. Terent. Eun. IV., 3. 11. Pl. civ. VIII. p. 520. D ἐν πόλει ᾗ ἥκιστα πρόθυμοι ἄρχειν οἱ μέλλοντες ἄρξειν, ταύτην ἄριστα --ἀνάγκη οἰκεῖσθαι exstant quidem non pauca praepositionis ante relativum omissae exempla, tamen hoc loco primarii enunciati structura est ea, ut potius ἐν ᾗ πόλει quam ἐν πόλει, ἐν ᾗ praecessisse videatur; cf. Schneid.; — vel verborum ordini interseritur. Soph. Oed. Col v. 907. εἰ μὲν δι' ὀργῆς ἧκον ἧς οὔδ' ἄξιος. Eur. Or. v. 63 et Electr. v. 852 ed Seidler.--κάρα 'πιδείξων οὐχὶ Γοργόνος φέρων, ἀλλ' ὃν στυγεῖς Αἴγισθον. Xen. Anab. I., 9. 19. cf. Terent. Andr. prol. 3. Livius. IX., 2.

Nec desunt exempla adverbiorum vim attractionis exertorum: Aristid. Panath. p. 116. T. I ἐπάνειμι δ' ὅθεν ἐπαυσάμην. Thucyd. I. 158. διεκομίζοντο ὅθεν ὑπεξέθεντο. vid. Lobeck ad Phryn. p. 44 sq. in adn. Efficit etiam praepositio ad articulum subiunct. ex superioribus repetenda, ut propius multo utraque pars coniungi putanda sit: Pl. civ. VII. p. 533 E ἔστι δὲ--οὐ περὶ ὀνόματος ἡ ἀμφισβήτησις οἷς τοσούτων πέρι σκέψις ὅσων ἡμῖν προκεῖται. Xen. Hier. I, 11. ἔρχονται καὶ εἰς πόλεις ἃς ἂν βούλωνται. Vid. Schaef. ad Oed. Col. v. 749.

Jam reliquum est, ut singula quaedam ad distinctionem et faciendam et reiiciendam spectantia disquisitioni subiiciam. Ac primum quidem, ubi demonstrativum excipit articulus relat., virgula ideo non omittenda videtur, quod partes suis numeris absolutae sunt nec quicquam ad primarii praedicati integritatem requiri potest: Pl. civ. V. p. 472 B καὶ τοῦτο, ὃ ἐρωτᾷς, τοῦ τοιούτου ἐγγύτατα ἡ ἄριστα πολιτευομένη πόλις οἰκεῖ. ib. VI. p. 510 D--ἐπὶ τοῦτο, οὗ-III. p. 416. E τοσοῦτον, ὅσον. p. 415 E τοιαύτας, οἵας. Unde colligas non esse, cur non incidamus, quando praemissum vel nomen pronomen subsequentis relativi casu per attra-

ctionem distinctum sit: ib. VIII. p. 556 B — *ἐλάττω δ' ἐν αὐτῇ φύοιτο τῶν τοιούτων κακῶν, οἵων νῦν δὴ εἴπομεν.* ib. III. p. 425 E — *τῶν νόμων, ὧν-.* Nonnumquam adverbia vi attractionis posita sunt: Aelian. var. hist. XIV., 33. *ἐπανῆλθον ἐκεῖθεν, ὅθεν ἐπράθην.* Pl. civ. VI. p. 489 E *λέγωμεν ἐκεῖθεν ἀναμνησθέντες, ὅθεν διῇμεν.*

Praeterea si verum est quod supra diximus, commate distingui non posse, ubi relativo contineatur demonstrativum, virgulae omissionem equidem minus probaverim, si relativum vocis, ad quam respicit, numero non convenit, cum contextus tenor quodammodo interruptus sit: Pl. civ. III. p. 426 C *ὡς ἀποθανουμένους, ὃς ἂν τοῦτο δρᾷ.* Quae res me alium in locum deducit. Exstant enim voces quaedam, quae per se generalius quid sonant nec nisi enunciatione relativa adiecta notionem iustam ac perfectam exhibent: ib. III. p. 413 C *ἔοικε--γοητεύειν πάντα ὅσα ἀπατᾷ.* Sententiae etiam adverbium sive pronomen relativum in fronte gerenti articulus praefixus reperitur, ut ista nunc in nominis nunc adiectivi vim et significationem abeat (vid. Matth. l. c. §. 273 et 287. Bernh. l. l. p. 313): Pl. civ. V. p. 469 B *ὅταν τις--τελευτήσῃ τῶν ὅσοι ἂν--ἀγαθοὶ κριθῶσι*; ib. VI. p. 510 A. Quin immo attractio in hac loquendi formula comparet: ib. Legg. X. p. 901 D *οὐδὲν--τῶν ὁπόσων εἰσὶν αἰσθήσεις καὶ ἐπιστῆμαι*; In hac utraque parte ut incisum absit oportet, ita ei spatium denegari nequit, cum, id quod modo tetigimus, relativum et vox, cuius istud imperfectae conditioni et explendae et illustrandae inservit, non eodem numero distincta sunt: Pl. civ. VIII. p. 566 D *ἀσπάζεται πάντας, ᾧ ἂν περιτυγχάνῃ.* Cum quo nolim confundas alterum hoc, si vocabulo superioribus iam definito enunciatum relativum appositionis loco subiicitur: ib. III. p. 425 E *τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥαδίως που εὑρήσουσι.* ib. I. p. 334 D vid. Schneid. ib. VIII. p. 552 D. V. p. 458 C. Haec de his.

Haud infrequenter verborum contextui interiectae sunt voces ut: *οἶμαι, οἴει, ἔφη* similia, quae, cum reliquorum nulli propius iungantur nec ullam ad sententiae structuram vim exserant, ut separatim cogitanda recte commatis utrin-

que distinguuntur. Quodsi primariae enunciationis verbum ex interserto scriptores pendere faciunt, non amplius incisis opus esse ex superioribus facile colligi potest: Soph. Trach. v. 1228 ἁ 'νὴρ ὅδ' ὡς ἔοικεν οὐ νέμειν ἐμοὶ φθίνοντι μοῖραν. ib. Antig. v. 736. Vid. Herm. ad Viger. p. 744 et 892.[1])

Jam huius loci est vocandi casus commemorare quid de interpunctione statuendum sit. Buttmannus l. c. eum ab orationis corpore non secernendum esse censet, nisi cum ei praemittitur, et prima tertiave persona eius praedicatum distinctum est. Quod nullo pacto verum existimo: neque enim insertum nomen cum caeterarum partium ulla cohaeret. Quodsi aut verbum in secundam personam definit, aut pronomen adest, ad quod nomen refertur, ratio appositioni proxima habetur. Cuius rei documentum est, quod nomen saepe in casu pronominis ponitur: Eur. Electr. v. 155--ὧς σὲ, τὸν ἄθλιον πατέρ', ἐγὼ κατακλαίομαι. Vid. Matth. l. c. §. 312. 5. Nec semper numero utrumque convenit: ib. 2. Hinc apparet esse, cur a Buttmanno dissentientes commatis omnino incidi iubeamus. At cum vox aliqua, quae ad enunciati verbum sensu respicit, ad nomen alloquendo inserviens casu refertur, illius ut integer orbis servetur, virgula melius excludenda est: Soph. Phil. v. 760 sq. ἰὼ δύστηνε σὺ, δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς. Ai. v. 695. ὦ Πὰν, Πὰν ἁλίπλαγκτε Κυλλανίας -- ἀπὸ δειράδος φάνηθι.

Fit etiam, ut Graeci in enunciatione concessiva particulam ὅμως protasi apponendam in apodosin transferant, his ut in unum contractis virgulam interponi non liceat. Verum ubi nulla alterius partis vocula in alteram irrepsit, sed utrumque enunciati membrum omnibus suis partibus expressum est, nihil obstat, quin interpunctione utamur. Quamquam non defuêre, qui ὅμως saepe participiis adiectum videntes (cf. Herm. ad Viger. p. 398 et 429) eo procede-

---

1) Kuehner l. c. p. 613. Pl. civ. I. p. 347. A ὧν δὴ ἕνεκα, ὡς ἔοικε, μισθὸν δεῖν ὑπάρχειν κ. τ. λ. afferre certe dubitasset, si Schneideri adnotationem vel leviter inspexisset.

derent, ut, quoties per eius posituram licere videbatur, particulam ad sententiam conditionalem potius trahendam ducerent. Eiusmodi locus est in Soph. Ai. v. 15 *κἂν ἄποπτος ἦς, ὅμως φώνημ' ἀκούω*[1]) quem Lobeckius contra Elmsleium et Hermannum sic recte distinctum dedit. Quod *ὅμως* participiis particulae *καίπερ* sive *καὶ-περ* iunctis adhibebatur, hoc eo factum consilio videtur, ut praesertim in re gravi et a vulgari ratione remota actionis praemisso verbo proditae memoria fortiter repeteretur, vel, si participium praedicato antecedit, rei insolitae tumque ad effectum adductae exspectatio iamiam moveri inciperet: Eur. Or. v. 679 *κἀγὼ σ' ἱκνοῦμαι καὶ γυνή περ οὖσ' ὅμως*. Xen. Cyr. V,, 1. 26 *οὕτως ἔχομεν, ὡς σὺν σοὶ μὲν ὅμως καὶ ἐν τῇ πολεμίᾳ ὄντες θαῤῥοῦμεν.* Vid. Heind. ad Horat. Satir. p. 386 et ad Plat. Phaedon. 92.

Jam nemini per singulas disquisitionis partes me secuto obscurum esse potest in amplificata enunciatione distinctionem, si quidem iustam in ea constantiam servare velis, universe eo niti, ut, tam singularum quam plurium notionum diversa similisne et eadem ratio sit, ubique perspectum habeas. Qua in re etsi multa linguis communia sint, tamen quae soli Graecorum ingenio placuerunt nonnulla exstare supra vidimus. Deinde ratio, qua compositam sententiam Graeci adornavere, ab aliarum linguarum usu mira formarum varietate tum multum distat tum magnopere sese commendat; sed illud ipsum in caussa est, cur de interpunctione quaerenti non idem ubique cursus tenendus et, quando duo enunciati membra in unum coalescant, accurate semper excutiendum sit. Quodsi in superioribus nisi idoneis firmata caussis virgulae sedes non obtigit, omissionem eius est ubi aegre fortasse feras, praesertim si verborum collocatione fit, ut notio aliqua vel praecedenti vel subsequenti voci, ad quarum neutram recte refertur, iun-

1 (Neque alia videtur Passovii sententia in lexico s. v. *ὅμως* hunc Sophoclis locum sic laudantis: *κἂν ὅμως* inque Addendis ad lex. ex Lycurg. 18. 1 *ὅμως καίπερ* componentis, ut *ὅμως* non minus quam *καίπερ* ad participium referendum esse videatur.

genda esse videatur. Quod quo rarius evenit, eo sane efficacior usus erit incisionis delinquendi ansam potius prohibentis quam ratione ac necessitate munitae. Exemplo sit Plat. civ. II. p. 381 D -- *μηδ' ἐν τοῖς ἄλλοις ποιήμασιν εἰςαγέτω Ἥραν ἠλλοιωμένην, ὡς ἱέρειαν, ἀγείρουσαν* -- cuius loci recta interpretatio acutae Schneideri menti debetur. ib. III. p. 416 C *ἥτις μήτε τοὺς φύλακας ὡς ἀρίστους εἶναι παύσοι αὐτοὺς, κακουργεῖν τε μὴ ἐπάρῃ περὶ τοὺς ἄλλους πολίτας* ubi comma de referendo *αὐτούς* in alteram partem cogitare vetat. cf. ib. I. p. 343 C ed Schn.[1])

Periodus composita.

Simplicis periodi partes si eodem modo, cui hae ipsae ortum debent, amplificaveris membrorumque inde ortorum uni alterive aliud his illustrandis inserviens subieceris, singula membra, cum tamquam per gradus ex sese et ex primario enunciato sint apta, interpunctione maiori dirimi non licet. Accedit etiam, quod particulae, quas singulis interseri notionibus supra diximus, eaedem integris sententiarum ordinibus connectendis adhibentur. Per hos vero cunctos quoniam fit ut aut eadem subiecti notio diffundatur aut sua quisque gaudeat, in distinguendo animus ad hoc discrimen advertendus est. Etenim ubi prior ratio obtinet,

1) Non sum nescius fore qui hac exceptione admissa dicant praecepta mea secum pugnare posseque iisdem fieri, ut quispiam per periodum decursum haud esse facilem videns imperitorum conditioni virgulis inter notiones hic illic interiectis succurrendum arbitretur, hac ut fere interpretationis instar sint. Distinctionem vero hac mente institutam a scopo suo longissime aberrare iam supra demonstravimus. Illius exceptionis quonam campus pateat, cum certis finibus constitui non possit, universe id unum adnotare iuvat, incisionem etiam non male fieri, ubi, si verborum collocatione intellectus minus adiuvetur, ea omissa est, quod orationem planam esse et apertam neges.

ac καί particula enunciata copulantur, verborum compositio a concursu notionum eo duntaxat differt, quod complures notiones, quae cum verbis totum quoddam constituunt, horum orbes coarctant; adcirco tamen interpungi non licere iam dictum est. Ad idem vero subiectum vel diserte voce aliqua vel nuda verborum terminatione expressum cum omnia referantur praedicata, maioris unitatis speciem haec mente comprehensa prae se ferre patet; unde non dubium, quin ne lenissime quidem incidi possit. Contra ea si suo quodque verbum subiecto paret, quot enunciata totidem habentur unitates; quibus quominus virgula interponatur, non impedimento est copula καί, qua nihil aliud nisi ratio, qua sententias inter sese vinctas cogitemus, indicetur. Idem valet in particulas οὔτε et ἤ. Neque ubi enunciationes coniunctioni alicui submissae prodeunt, de referenda ea ad reliqua verba cogitare incisis vetamur; quod si e verborum terminationibus primo obtutu minus clare cognoscatur, cogitatorum cursu curatius expenso, quo quid trahendum sit, plerumque vix quemquam fugere poterit. Pertinet huc etiam illud, si verbi personarum fit immutatio; quo tamen nolim referas enunciationes, quarum grammatica quidem subiecta inter sese discrepant, logica vero concinunt. Non possumus enim facere quamvis grammatica sententiarum forma repugnante, quin ea, quae de eadem aut re aut persona efferuntur, animo complectamur et in unius ductus conspectum cogamus.

Praeterea has leges ex ipsa sermonis natura petitas in quodvis enunciatorum genus valere nec quicquam differre, utrum primo an secundo an tertio amplificationis gradui haec orationis forma adhibita sit, facile quisque intelliget.[1])

---

1) Wiener in libro: Gr. des neutest. Spr. id. p. 57 usui fore dicit distinctionem commate etiam inferiorem, qua, hoc cum primariis partibus apponatur, intra istas, ubi opus sit, uti nobis liceat. Quod si ideo statuit, ne quis iisdem ubique incisionibus perturbatus in referendis membris de recta via deflectat, V. D. non reputavit, cum relationes ex ipsa oratione cognoscantur, hoc novo invento facile carere nos posse.

Periodi orbis quamquam tum singulis partibus amplificatis tum sententiis per *καί* vel *ἤ* vel *οὔτε κ. τ. λ.* sibi annexis ad infinitum posse crescere videtur, non licet tamen verborum ambitum usque eo extendere, ut omnia mente comprehendi ac sub unum aspectum subiici commode nequeant. Dixerim potius cultissimum quemque id maxime curare, ut membra ita adornet eoque disponat ordine, ut quoad ipsa instituti ratio patitur, per totum decursus planus evadat et expeditus. Intra fines vero modo adumbratos periodus non subsistit, sed latiori persaepe ambitu conspicua est. Quod nos ad coli vim et usum illustrandum deducit.

Ex Dionysii Thracis artis interpretibus ii, qui ad enunciati formam distinctionem dirigunt, haud multum quidem abfuit, ut *τῆς μέσης στιγμῆς* rectum invenirent significatum, loci vero ab his allati ad ipsorum rationem probandam parum idonei sunt. Legitur in Bekkk. anecd. gr. II. p. 760 *ἡ δὲ μέση* (sc. *τίθεται*), *ὅταν μέσως πως ἔχῃ ὁ νοῦς* quae explicatio latius diffusa rem presse non tangit; quamquam versu ei subiecto *᾿Απόλλωνι ἄνακτι* (·) *τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ*, si quidem antiqui pronominis usus memineris, non adeo offendimur. A vero proxime abest quod reperitur ib. p. 761 *καὶ ἡ μὲν μέση σημεῖον μεσούσης διανοίας μήτε λίαν οὔσης πρὸς τὸ τέλος μήτε κρεμαμένης* quam legem quomodo Il. *α*, v. 22 sq. — *ἐπευφήμησαν ᾿Αχαιοί Αἰδεῖσθαί θ᾿ ἱερῆα* (·) *καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα* sequantur, statim videamus. Non infitiandum quidem *τε* omisso verba inde ab *ἐπευφ.* usque ad *ἱερ.* orationem exhibere absolutam ac conclusam neque omnino parte posteriori opus esse, copula tamen voci *αἰδ.* addita alterius praedicati e verbo primario apti exspectationem movet; quod documento est ne commate quidem ante *καί* distingui posse. Non sufficit enim, si colon velis ponere, ad praemissae sententiae grammaticam formam nihil desiderari, sed postposita etiam eiusmodi esse debet, ut sua vi constet suoque regatur verbo. Unde caussa apparet, cur in Pl. civ. III. p. 389 A *οὔτε ἄρα ἀνθρώπους ἀξίους λόγου κρατουμένους ὑπὸ γέλωτος ἄν τις ποιῇ, ἀποδεκτέον, πολὺ δὲ ἧττον, ἐὰν θεοῦς* Schneider colo post *ἀποδ.* ab Ald. Steph. Bekk. et Stallb. facto minorem inter-

punctionem praetulerit. At quid iam impedit, quominus singulis enunciatis ubique colon interseramus? Superiora bene supplentur iis, quae in Bekk, an. gr. II. p. 762 leguntur: ἡ μέση δήλη ἐστίν ὡς οὖσα τῶν πρός τι ἐχόντων· τὰ γὰρ μέσα τῶν πρός τί ἐστιν ἀεί.[1]) Accedat igitur necesse est, ut effata ad sese referantur i. e. prioris orbem vel minus distinctum vel generalius descriptum alterum enodatius definiat atque illustret: id quod permultis modis institui potest. Qua in re hoc est usui, ut, quid muneris gerat posterior pars, non raro ex appositis particulis cognoscere liceat.[2]) Posterius effatum ita oportet comparatum esse, ut ad aliquam alterius partem pertineat. Quodsi totam amplioris ambitus sententiam tangit, haud dubie dignum est, quod peculiarem periodum constituat.

Jam ad rei varias ac multiplices formas descendamus contemplandas. Et posterior quidem sententia aut includit vocabulum ad antegressam aliquam notionem respiciens, ut in Pl. civ. VII. p. 517 D. εἰκὸς γάρ που οὕτως extrema haec vox ad praecedens ἄνω διατρίβειν aperte refertur, ib. X. p. 619 A οὕτω γαρ κ. τ. λ. ad ultimam antecedentis effati partem spectat; aut ut ib, VIII p. 568 D ὅσῳ δ' ἂν ἀνωτέρω ἴωσι κ. τ. λ. relatio non in voce expressa cernitur, sed in eo omnino consistit, quod enunciationes ob argumenti rationem arctiore iunctura gaudent. Cui simile est

---

1) Nicanori grammatici Apollonii praecepta interpretanti ἡ μέση probatur haud spernendo nomine τῆς ὑποτελείας i. e. ut nostro more loquar, notae puncto inferiori vi proximae. Idem vero cum dicit in Bekk. an gr. II. p. 763 ἡ ὑποτ. τίθεται, ὅτε ἐπιφέρεται ὁ δέ ἢ ἄλλος τις σύνδεσμος τῶν ἰσοδυναμούντων τῷ δέ, λέγω δὲ τὸν γάρ, τὸν ἀλλά, τὸν αὐτάρ vereor ne, hoc si cum τῇ πρώτῃ ἄνω p. 764 contuleris, eo saepissime loco colloceris, ut, utra earum incidendum sit, particularum tantummodo ratione habita probe decernere non possis.

2) γάρ et οὖν particulas disquisitioni subiecit Schneid. in: Ak. Vorl. p. 219; unde discas, quam perverse de vi ac significatu nostri denn Weiskius l. c. p. 116 sentiat. Illae enim voculae a coniunctionum natura prorsus alienae integris suaque vi constantibus accedunt sententiis, quae, ubi minus arte cum proxima enunciatione cohaerent, iure ab ea plene distinguuntur.

ib. X. p. 617. E--τὸν δὲ παρ' αὐτὸν πεσόντα ἕκαστον ἀναιρεῖσθαι, πλήν οὗ ·ἓ δὲ οὐκ ἐᾷν. Fit etiam saepissime, ut insequentibus verbis uberior et amplior praemissi vel pronominis demonstrativi vel adverbii descriptio contineatur ib. II. p. 365 C--ἐπὶ τοῦτο δὴ τρεπτέον ὅλως πρόθυρα μέν κ. τ. λ. ib. VII. p. 520 D. Nec res mutatur, quando cuiuslibet generis vocabulum praecedit, de quo sententia adiecta definitius dicitur: ib. I. p. 337 E et 329 D--τὸ τοῦ Σοφοκλέους γίγνεται ·δεσποτῶν πάνυ πολλῶν ἔστι καὶ μαινομένων ἀπηλλάχθαι. Ib. X. p. 618 A et B quae universe vitae virorum essent, posteaquam per duo cola breviter enarratum est, verbis ὡςαύτως δὲ καὶ γυναικῶν additis nec mulierum vitas praetermissas fuisse certiores fimus, ut harum trium partium quidem per se quaeque constet, tamen omnes demum cogitatione comprehensae periodi per antegressum καὶ δὴ καὶ τοὺς ἀνθρωπίνους ἅπαντας sc. βίους sperandae ambitum constituant; unde efficitur nullam a proxima fortius divelli recte posse.[1]) Huc pertinet etiam illud, si antegressis dicendi, interrogandi verbis et similibus vel ipsius loquentis vel alius voces subiunguntur: ib. X. p. 599. D. 604 pr., I. p. 327, C. 328. 337. B. V. p. 478 A ἀδύνατον, ἔφη, ἐκ τῶν ὁμολογημένων ·εἴπερ--. vid. Schn. Item colon a sua vi ne tum quidem recedit, cum ante sententias ponitur, quibus exspectationi ipsa orationis indole motae satisfieri incipit: ib. II. p. 360 E. 368 B. 372 B; III. p. 416 B; X. p. 598 C, III. p. 402 E. Superiora omnia si comprehenderis, nomen exspectationis signi, quo Schneid. in Pl. civ. II. p. 360 E utitur, coli potestati apprime respondere invenies.

Quemadmodum virgula sententiis e coniunctione aptis

---

1) Si non est, cur adverseris Wundero ad Soph. Phil. v. 57 dicenti λέγειν pendère ex antecedente δεῖ, fieri nequit, ut post λέγων puncto incidatur inferiori, quo duo haec enunciata secum quicquam commune habere omnino negantur. Cui nostrae sententiae maior etiam inde fides accedit, quod Ulysses per verba λόγ ἐκκλ. universe indicato quid Neoptolemum moliri iubeat, singulas statim artes aperit, quibus hic Philoctetae animum decipiat.

interserta non impedimento est, quin has ad illum relatas cogitemus, ita aliae quaedam voces ad prius praedicatum pertinentes ad reliqua quoque spectare videri possunt; quae opinio ubi sensus integritati ac perspicuitati fraudem affert, nec aliae caussae commati sedem tuentur, colon huic praeferendum esse equidem duco. Exemplo sit ib. II. p. 372 pr.

Brevior multo quam de antegressis quaestio is poterit esse cursus, quo reliquum adhuc spatium emetiendum est. Versatis enim in iis periodis, quae cogitationes inter se compositas et in unum quoddam conflatas exhibent, ad eas nobis transeundum est, quarum connexus integra sententia interiecta dissolvitur. Hoc vero, ut mihi quidem statuo, tum putes fieri, cum effatum aliquod, quo vel totum membrum vel singula eius pars (ib. VIIII p. 589 C.) disertius evolvitur, eam refert grammaticam formam, ut nullo pacto reliquo orationis corpori iungi queat. Cuiusmodi sententiarum et unde exordium sit et quoad campus extendatur, cum in mira earum et a vulgari usu aliena collocatione signis constituendum esse nemo non videat, tamen, utrum ex receptis aliquod adhibeamus, an novo plane opus sit, in controversiam deduci potest. Et quoniam, si punctis inferioribus illas includeremus, periodus in partes sua vi minime consistentes discederet, iam his reiectis, quid de reliquis duobus videatur, videamus; in quorum neutrum mollius consulere licet. Cum enim non solum in membrorum exitu (ib. X. p. 615 pr. et VIII. p. 543 B), qui subsistendi paullisper locum dat et alienis adsuendis accommodatior est, integra enunciata collocentur, sed ipsis mediis inserantur (ib. V. p. 449 B), nec colon poni licet, quia interiectam sententiam voces ad primariam referendae sequuntur, nec comma sua gauderet potestate, qua hanc cum illa interiore nexu coniunctam cogitare iuberemur. Hoc quamvis logica utriusque ratio permittat, immo etiam postulet, tamen interposita sententia eiusmodi est, ut cum altera in unum contrahi nequeat. Incommoda igitur multifariam obiecta non dubium videtur quin nec aliter nec melius propelli possint, quam si singulari huic cogitatorum rationi

singularis nota, parenthesis hami, adhibeatur. Quibus uncinis, quamquam grammaticorum auctoritate destitutis, hoc minus carere possumus, quod effati natura ac forma oblati grammaticae relationis defectui aperte subveniunt. Unde simul intelligas, quantopere superiori aetate his sint hamis abusi, qui teste Poppone in cens. s. l. relativas quoque enunciationes, quae vocis alicuius notionem accuratius definiunt, iisdem includere adsolebant. Nec vero potuit hic error latius diffundi altioresque agere radices, ex quo grammaticae disciplinae novis fundamentis positis cuiusvis rei explicatio ac disquisitio ad enunciati formam dirigi coepta est; unde id quasi postliminio redundat emolumenti, ut tam de compositione ac structura periodorum quam de mutua partium ratione melius hodie sciamus.

Jam punctum inferius ubi sedem habeat, quamquam post colon et parenthesin dicere vix opus est, tamen, ne quid ad rem explendam deficere videatur, hoc opere brevi defungar. Quemadmodum enim omni periodo summa, qua eius unitas nititur, forma subiecta est, ita non raro etiam in partium structura periodicae regnant formae, quae nihil nocet si ad maiorem longitudinem extenduntur, modo coëant in maiorem unitatem nec ipsa summa unitas coniunctione singularum enunciationum efficienda compositioni desit. Attendas igitur quoque loco, quousque periodica unitas formae pateat, atque hanc unam periodum dicas; novam vero periodum tum statuas, si praeterea adsint quae cum prioribus non possint in unitatem periodicam coniungi.

Nos interrogandi signo in ordinem recepto verendum quidem est ne incusent, quod hoc eadem atque reliquas notas esse potestate opinemur, iam inde tamen, quod veteres grammatici nusquam eius mentionem faciunt, aliis istud niti caussis alioque consilio esse probatum evidenter apparet. Hi enim cum incisiones cogitati natura effectas et tamquam articulos sententiae praecepissent distinctione notari debere, per temporis decursum fieri non potuit, quin, quantum verborum intelligentia interpunctione adiuvaretur, monitis hac via longius procedendum esse videretur. Quo in negotio detentis nihil fere aliud, quod in doctrina tra-

dita immutarent et innovarent, relictum erat, nisi ut duorum, quibus animi sensa proferri licet, modorum alteri ut minus frequenti peculiarem notam destinarent. Vulgari enim si orationis forma utimur, id solum agimus, ut effatum aliquod vi ingenii editum esse ac per sese ideo consistere dicatur; contra ea sententiae ad interrogationem conversae, sive quid ea esse affirmetur sive rhetorico alicui consilio inserviat, vel ipsam dubitationis notam inustam vel lenem eius speciem afflatam videmus; unde est, quod sperare liceat fore, ut ad interrogata respondeatur. Quamquam inde non efficitur necessario iis responsum semper subiungi; id quod non optandum ac ne probandum quidem, istud ubi iam adeo emergit, ut ad sententiae integritatem nihil desiderari posse videatur. Quia vero singulares habentur voces, quae varias interrogandi formas ostendant, his cognoscendis satisfactum neque omnino peculiari signo opus esse quispiam fortasse dicet. Neque infitiandum, cur nostris etiam diebus hoc in libris vigeat, in caussa esse non modo usum eius satis antiquum, sed recentiorum linguarum indolem, quae repudiatis particulis interrogationes generales verbo subiecti notioni praemisso simpliciter declarant.[1])

De iure enim ac ratione parum solliciti, in hac lingua quod idoneis firmatur caussis, illi ut necessarium idem in-

---

1) Interrogandi notam credibile est aut inventam aut in usum receptam esse Carolo magno regnante. Qui distinctionem tum arbitrio libidineque affectam et confusam Paulo Warnefridio et Alcuino negotium dedit üt ad certiorem ac simpliciorem normam dirigerent, cf. Osann. l. c. et Weiske l. c. p. 122. Illi notae, cuius in codicibus aliquot ad saeculum nonum vel decimum aperte referendis primum tuta vestigia comparent (vid. Matth. l. c.), quamvis Byzantini et Romani diversas formas expresserint, ab una tamen eademque stirpe eas esse repetendas probabile reddit Weiskius, quem cui volupe est adeat l. c. Reisigius, qui in grammat. linga. lat. calce levem de interpunctione locum habet, signorum a novitiis hominibus libris illatorum nulli nisi interrog. notae hospitium munit haec iocans: das Fragezeichen scheint wirklich das wichtigste zu sein, das bucklige Ding.

culcare non dubitarunt. Inveteratam igitur consuetudinem potius quam instituti mei viam et consilium servasse incusabor, si de sede interrogationis notae tribuenda hic explicavero. Quae etsi persaepe facillime cognoscatur, nonnunquam tamen longiorum periodorum ratio efficere solet, ut, quid intra interrogationem positum sit, minus perspicue eluceat. Pro diverso enim affectus modo nunc singulis paene vocabulis nunc sententiae parti nunc fini duntaxat haec nota apponi debet. Periodos cum ex membris vi aut paribus aut imparibus constare haecque illis definiendis inservire aliisve prodesse modis adnotum sit, ad parium unumquodque, si quidem interrogandi vis per totam sententiam diffunditur, aequabiliter ea transeat necesse est, ubi cogitatio toti subiecta singulis nititur inque iis pariter exsplendescit. Nota igitur interrogationis in eodem verborum ambitu bis saepiusve repetita fieri, ut cursu commotiori ac vehementiori oratio feratur, acutissime adnotat Schneider ad Pl. civ. vol. I. p. 153. Quod quo magis patefiat, exempla adscribimus indidem: V. p. 469 A et B *καὶ τὸν λοιπὸν δὴ χρόνον ὡς δαιμόνων, οὕτω θεραπεύσομέν τε καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας; ταὐτὰ δὲ ταῦτα νομιοῦμεν, ὅταν τις--τελευτήσῃ τῶν ὅσοι διαφερόντως ἐν τῷ βίῳ ἀγαθοὶ κριθῶσι*, ib. VIIII. p. 591 D *οὐκοῦν, εἶπον, καὶ τήν κ. τ. λ.* Sed cum ex paribus unum reliquis praestantius procedit, et in ipso tamquam in maiori obiecto cogitatio consistit, hoc solum vi iuterrogandi ideo affectum cogitari poterit, quod, si caetera omnia ad summam sententiam introducendam, praemuniendam, praeparandam adiecta cum eadem vi ponerentur, enunciatio in plures diffissa partes quidvis potius quam periodi formam referret. Qui enim, quaeso, singula membra munere suo recte possunt defungi, quorum ratio nondum ipsa ad liquidum perducta et explanata est? Ne igitur unitas compositioni desit, sed ut in iusto corpore cuncta apte inter sese cohaerescant, nisi in totius exitu nusquam signo illo incidi licet: ib. II. p. 369 E et, 360 *Δἕνα ἕκαστον τούτων δεῖ κ. τ. λ.* — His expositis iam restat, ut enodemus, quando membrorum vi parium partes cum interrogatione proponendae videantur, vel po-

tius, quales omnino hae esse et possint et debeant. Nec vero cum ex iis paribus membris, quae eadem gaudent potestate ac primi vi parium ordinis aliquod, ad interrogationem ullum converti queat, quin reliqua statim eandem dicendi formam induant, id quod rationem modo tractatam revocaret, non aliud membrum, nisi quod paris alicuius ambitum disertius evolvit eique suppositum est, interrogative efferri potest. Quod enim in dubium vocatur, num parium alicuius ratio quadam ex parte satis definita et integra sit, in totam periodum non ita valet, ut unitas eius perturbari ac dissolvi putanda sit.

Haud raro etiam accidit, ut interrogandi vis, quae initio aperte eminebat, longiore paullatim sermonis decursu imminuta veluti evanescat, et periodus in affirmationis (ib. VIII. p. 548 B) aut negationis formam (ib. III. p. 390 C) conversa exeat; quocirca pro interrog. signo aliam et loci naturae convenientem adhiberi distinctionem praestat. Dicendum praeterea in logica illud enunciatorum ratione nihil commutare, sed iis tantum locis apponi, qui, ipsum si abesset, ex vulgaribus notis necessario aliquam asciscerent. Quae cum ita sint, singulis oportebat interrog. signis eam insuper accedere notam, qua incisionis logicae vis propria significaretur.[1]) Quod quia viris doctis adhuc probatum non est, neque, cum duplex officium istud sustineat, ei nunc in totius periodi nunc partium exitu collocando eadem ubique vis inesse potest, non semper planum et expeditum iter habebis, immo scopulis imminentibus vela saepe contrahenda erunt, ut remis adhibitis tarde quidem, sed tuto navigium procedat.

Exclamandi notae, quam alii post F. A. Wolfium amplexi sunt (vid. Schulz in nov. test. ed. III. p. X.) hodieque probant multi, Buttmanno assentior praeclare dicenti l. c. hospitium ideo renuntiandum esse, quia hac semel re-

1) Quod quantum prosit, quin etiam necessarium sit, cognoscitur ex Pl. civ. VI. p. 484 B., qui locus si affirmative exprimatur, post ἐξῆς colo distinguendus est, cum verba inde ab ἐπειδὴ φιλ. usqne ad ἡγεμ. εἶναι declaratio illius sint, quod τὸ ἑξῆς dictum erat, vid. Schneid.

cepta omnino non est, cur reliquis, quae tamen per se non minus eminent, affectuum generibus: admirationi, dolori, laetitiae, metui, aliis singula non fingamus signa. Quod si a te impetrares, non omnem confecisses rem, sed medio potius itinere substitisse videreris, si, quot affectuum locus aliquis temperamentum aperte spirat, totidem ei notas apponere omitteres. Sed in talibus diutius detineri neque utile neque iucundum est. —

T H E S E S.

1) Errat Matth. in gr. gr. §. 570. dicens participia nominum vim non induere nisi assumto articulo, cf. Apollon. synt. p. 81. ed. Bekk.

2) In Soph. Antig. v. 263 vulgata scriptura ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι eiecto τό contra Herman. et Dindorf. tuenda.

3) In Soph. Electr. v. 86. vocabulum ἰσόμοιρος ad φάος non minus quam ad ἀήρ referendum et genitivi γῆς ex eo apti ratio aliter explicanda est atque Hermanno videtur.

Vita.

Natus sum Augustus Lange a. d. III. Cal. Mart. anno huius saeculi XVII. Novi Fori, Silesiae inferioris oppidulo, patre Theophilo lanii artem ibi factitante et matre Eleonora e gente Guertleriana. Primis litterarum rudimentis in schola patriae urbis publica imbutus quum id aetatis attigissem, qua iam cum fructu veteres linguas posse edoceri videbar, Wandelii, qui nunc Wirschkowitii sacris procurandis praeest, lectionibus assidere privatis parentum studio ac liberalitate mihi contigit. Hos ne benignitatis in me collatae neve illum operae mihi impensae poeniteret, curae mihi exinde fuit maximae. Pueritia vixdum exacta Vratislaviae praeceptoribus gymnasii regii Fridericiani, quod tunc Kannegiesseri auspiciis florebat, post huius discessum Wimmero duce floret, in disciplinam traditus et in tertium ordinem receptus sum. Praeter hos fuerunt mihi in schola hac praeceptores: Kunisch, Tobisch mai. et min., Muecke, Rhode, Zastrau b., Hiller b., Schulz b. Quinquennio transacto undevicessimum agens annum studiis academicis testimonio legitime impetrato memet maturum exhibui. Anno igitur 1836 in litterarum universitatem Viadrinam commigravi et a V. Vener. J. Rittero, cuius tum fasces erant, civibus adscriptus apud amplissimi philosophorum ordinis prodecanum C. Schneiderum nomen dedi Qui vir una cum Ritschelio litterarum graecarum amorem, quem praeclara Wimmeri institutio in me excitaverat, miris modis auxit et confirmavit. Scholis praeterea interfui Ambroschii et Elvenichii philologicis, Stenzelii, Schoenii b., Kutzenii historicis, in litteris teutonicis Hoffmannum et Kahlertum duces sumsi, in philosophiae campo Branissium. Quibus viris omnibus, si quid boni mihi insit,

me hoc debere lubenter profiteor eorumque memoria pio gratoque animo ad cineres usque mihi colenda erit. Anni 1839 m. Sextili relicta Musarum sede motiunculis, quibus tentari coeptus eram, expellendis per aliquod tempus operam darem necesse fuit. Quod cum praeter spem mihi prospere successisset, epistola ad collegium virorum, qui candidatorum litterarum scientiae tentandae praefecti sunt, data rogavi, ut mihi publice docendi veniam impetraturo quaestiones proponerentur. In quo hoc mihi perquam laetum contigit, ut V. ill. Schneidero, quo potissimum studiorum moderatore usus eram, iudicis quoque partes mandatae essent. Cui nec speciminis ratio neque explorationis de me praesente institutae exitus displicuit. Itaque Kannegiesser roganti mihi, ut se duce per unius anni spatium docendi periculum facere mihi liceret, pro ea, qua insignis est, humanitate huius rei copiam lubentissime fecit et tam ipse quam caeteri praeceptores re et consilio me quocunque modo adiuverunt. Quibus et successori illius Wimmero de me rebusque meis meritissimis non possum quin hoc loco publice debitas agam grates quam plurimas simulque temporis, quó uti iis mihi tum licuit tum licet, iucundissimam semper recordationem mihi fore confitear.